This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE CANTONALE ET UNIVERSITAIRE DE LAUSANNE

EX DONO

JEAN HERBETTE

ancien ambassadeur

1878-1960

1972

Digitized by Google

BCU - Lausanne
1094800167
Digitized by Google
4800008

A 14846 = -Rc
3 —

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AMŒNITATES POETICÆ.

18366

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

AMŒNITATES POETICÆ,

SIVE

THEODORI BEZÆ, MARCI-ANTONII MURETI,

ET

JOANNIS SECUNDI *JUVENILIA:*

Tùm JOANNIS-BONEFONII PANCHARIS:

JOACHIMI-BELLAII AMORES,

&c. &c.

A2 S406

LUGDUNI-BATAVORUM.

Væneunt PARISIIS,

Apud JOSEPHUM BARBOU, viâ Mathurinorum.

M DCC LXXIX.

Digitized by Google

BIBLIOTHEQUE CANTONALE
LAUSANNE
ET UNIVERSITAIRE

D
51436

Digitized by Google

NOTITIA

AUCTORUM.

PAUCA de totius libri ratione dicenda habemus. Editus primùm anno 1757, ex quinque, quos nunc exhibet, Poetis, quatuor tantùm conſtabat : *Bezæ* videlicet, *Mureti*, *Secundi* & *Boneſonii* carminibus egregie recuſis. Exhauſta dudum & penitus conſumpta prima illa editione, eam ut typis reddere Typographo ſtatutum, operæ pretium facturus ille ſibi viſus eſt, ſi quid novi, quoad libri delectum, ejuſdemque ferè generis aut argumenti adſciſceret ; & addita *Joachimi Bellaii*, è carminum ſat uberi meſſe, profecto ſelectiſſima. His unà collectis compoſitiſque conſtant AMŒNITATES POETICÆ : quibus brevem præfigere Notitiam Auctorum ex re viſum eſt.

THEODORUS BEZA (*de Beze* ou *Beſze*), Vezelio-Burgundus, natus anno 1519, &

Digitized by Google

vita functus anno 1605, pluſquam octogenarius, ſeculum XVI prope totum emenſus; XVII attigit. Ejus Poemata, quæ primùm hoc edita titulo : *Adeodati Sebæ Juvenilia*, & juvenem aliquando ſapiunt, certè non injucunda, ſed Gallicifmis aſperſa : quod notatum a Scaligero, juvenes ut obſervent monendi. At quæ paſſim nequitiæ, Poetæ genio indulgenti, excidiſſe videntur, ſi non ideo libidinoſum Bezam arguunt, (ut familiare poetis hoc Martialis placitum : *Laſciva eſt nobis pagina, vita proba*), eumdem *uxorium* ſat probant inita ter conjugia, Paſchaſio decantata.

UXORES ego tres vario ſum tempore nactus:
  Cùm juvenis, tùm vir, factus & inde ſenex.
Propter opus, prima eſt validis mihi juncta ſub annis;
  Altera propter opes, tertia propter opem.

Extant & Bezæ, Bùchananum æmulantis, haud aſſequentis, *Pſalmorum Davidis & aliorum Prophetarum libri quinque, vario carminum genere Latinè expreſſi*, & Genevæ primum editi anno 1579.

MARCUS-ANTONIUS MURETUS, ſtirpe nobili natus in pago ſuburbano Lemo-

Digitized by Google

vici *Mureto* (unde genti nomen) anno 1526 ; & Romæ mortuus anno 1585 , ſcriptor Latinus eſt e noſtris & pleriſque recentibus qui proximè ſtyli Romani nitorem ac elegantiam æmulatus & aſſecutus. Is quoque *Juvenilia* luſit , eademque non inamœna , nec (ut nuper in *Annalibus Poeſeos Gallicæ* Tom. VI. pag. 256. ſcriptum legimus) adeo *parvi æſtimata*. Etenim ut concedamus raro Muretum aſſurgere , & poetici caloris quidpiam in eo deſiderari ; at genuinâ Latinitate , omnium fere poetarum qui , a Litteris reſtitutis , Latinè ſcripſerunt , perpauci eum æquaviſſe videntur. Mureti Juvenilia (quo nomine accipienda ſunt Elegiæ , Epigrammata , Epiſtolæ , Odæ , &c.) ab ipſomet tunc ætatis annum circiter vigeſimum ſextum agente , vulgata Pariſiis anno 1552. Ea vero cum ab Editione primariâ , in poſterioribus pleriſque & præſertim in Leydenſi , an. 1757 , identidem accreverint , nunc quidem non juventæ ſolos luſus , ſed provectioris ætatis fætus etiam nonnullos , proferunt : quod paſſim obſervare licet , & in carmine Lyrico ad Petrum Gerardium pag. 197 , palam eſt. Nec tamen intra carminum hoſce quaſi

Digitized by Google

cancellos, ſtat Mureti poeticus labor; nam ejuſdem inſuper extant, tum Hymni ſacri complures, & Pſalmi Davidis aliquot metro donati, tum *Julius Cæſar* (Bruti manu confoſſus) Tragœdia Euripidæa: quæ cuncta ſimul collecta cum Orationibus, Epiſtolis, Variarum Lectionum Libris XVII, &c. complectitur *Mureti Operum omnium editio Veronenſis*, ann. 1727-1730. quinq. vol. *in*-8°, longè locupletiſſima, ſi non emendatiſſima. Ea tribus hancce noſtram poematibus, haud aſpernandis, ditavit. Excerpſimus ex Elegiis carmen *Ad Neæram puellam*, quod in Mureti Carminum editionibus fere cunctis deſideratur, & alterum *Ad Fulviam*, non antea vulgatum; ex Lyricis, *ad Janum Tilium Paræneticon*: quæ tria ad libri calcem, (Poetâ jam ex typis emerſo) ablegare, inter Analecta, neceſſe fuit. Ne quis autem, cui fortè nota tantum Mureti poetica ſint, virum ex opuſculis iſtis æſtimet, conſtat apud eruditos, Muretum e præſtantiſſimis ſeculi XVI ſcriptoribus non ſolùm eſſe, ſed & in *Arte critica* verè Roſcium, ut patet ex eximio variarum Lectionum ejus opere. Liceat hîc addere quod Auctor Mureti vitæ

Digitized by Google

(in editione Veronenſi) nobis ipſe ſubjicit: « FUIT idem Latinis in Auctoribus imitan- » dis mira ingenii felicitate. Hac fretus, » Græci comici Philemonis ſententiam ex » Plutarcho & Stobæo, numero Latinorum » tragico, imitatus eſt, & ſubinde ſenten- » tiam eamdem comicè explicavit, comico- » que numero, geminâ Latinâ Verſione, » quarum alteram Attio, alteram Trabeæ » affinxit. *Ut nemo repertus ſit*, ſcribit ipſe » Muretus, *qui non ea pro veteribus acceperit.* » *Unus etiam & eruditione minimè vulgari, &* » *judicio acerrimo præditus, repertus eſt, qui* » *ea à me accepta pro veteribus publicaret* ». Hîc apertè ſignificatus *Joſ. Scaliger*, qui Mureti fraudem ingenioſam & innocuam ultus eſt atroci Diſticho, quod in nota, pag. 187. protulimus ad infamiam auctoris, labeculam vix ſummæ cuti hærentem, ferro & igne (calumnia ſcilicet abominanda), diluere adeo prompti.

JOANNES SECUNDUS, origine Belga, ortu Batavo-Hagienſis, natus anno 1511, & ante vigeſimum quintum ætatis, anno 1536 extinctus, inter ſeculi XVI Latinos

Digitized by Google

poetas, amænitate, facilitate, lepore, præcipuè commendatur. Is Veneres totus ſpirans, muſam in Eroticis maximè fregit; quod fervidæ juventuti condones; at aliquando sibi tantum indulget, ut cum Latinæ dictionis, tum rationis metricæ incuria; *diſcinctum* ferè poetam hunc non abſurdè dixeris. Secundi Carminum hicce delectus primâ fronte *Baſia* præfert, ut forte ſolemniorem ejus opellam; poſt Elegos & Epigrammata; mox Odas & ex Sylvarum promiſcuo genere, quædam. Reſtant ad integrum opus poetæ Batavi conficiendum, Elegiarum liber unus, Funerum liber unus, Epiſtolarum Libri duo, & Sylvarum pars maxima.

JOANNES BONEFONIUS (*Bonnefons*) Arverno-Claromontanus, natus anno 1559, mortuus circa annum 1614, floruit ſub Henrico III & Henrico IV. Hic Catulli in Phaleucis, & in Eroticis Secundi curioſus Æmulator, quadrigæ poeticæ non ultimus iret, ſi Latinitas ejus emendatior. At ex judicio Bernardi Monetæ (*La Monnoye*), is plus Italos ſeculi XV aut XVI, quam ætatis probatiſſimæ Latinos poetas ſapit. Hinc

Digitized by Google

apud *Menagiana*, Tomo IV. pag. 371 & ſeqq. ejuſdem annotata Monetæ in *Pancharitem*, quæ ſuis pleraque locis, ad imam hujuſce noſtri Textûs recentioris oram, in gratiam juventutis, non ſine fructu quodam, occurrent. J. Boneſonii nullum aliud opus, ſi quod extat, nobis notum eſt.

JOACHIMUS BELLAIUS (*Du Bellay*), Andinus, nobili proſapia natus circa annum 1524, & ſublatus e vivis anno 1560, ætatis, *Thuano* 37, *&* *Sammarthano* 35. Patruum habuit Cardinalem illum DU BELLAY, Legatione Romana, regnante Franciſco I, ornatum, cujus ope Italiam, ipſamque Romam ad ſatietatem inviſit. Virum tenes; habe poetam. Natus in æſtu renaſcentium undequaque Litterarum, Litteris & Latinis & Græcis dein imbutus, ut tum ferebat ætas, non leviuſcule tinctus (ut nunc magna pars, noſtri), Bellaius ad Poeſim acceſſit. Is nimirum utriuſque, Latinæ Gallicæque, poeſeos æqué conſcius & cultor, utramque ſimul amplexus. Idem ob venæ facilitatem cum dulcedine conjunctam, fundendis præcipuè carminibus Gallicis, *Ovidii Gallici*

Digitized by Google

nomen, pro tempore non abſonum, obtinuit. J. Bellaii extant Elegiæ, Amorum liber, Epigrammata, Tumuli, Xenia ſive illuſtrium quorumdam nominum Alluſiones, & ad Janum Morellum Epiſtola prolixior, qua poeticè diſſerit, *Neminem aliena injuria miſerum eſſe*. Ex his elegimus AMORES, & varii argumenti quæ viſa nobis digniſſima rurſus in lucem dari.

ADJUNCTA pro Coronide: Tria *Mureti* Poematia ex Editione Veronenſi, ſuperius prænuntiata; tùm *Petri Lotichii*, Germani poetæ, PHILOMELA ÆMULATRIX; & *Famiani Stradæ*, poetæ Romani, FIDICINIS & PHILOMELÆ CERTAMEN.

LECTORI

LECTORI
BENEVOLO.

THEODORUS BEZA, Vezelius, quis & qualis fuerit, quantumque in promovenda nova Calvini Reformatione fidelis ejuſdem aſſecla ardenſque aſſertor inſudarit, nemo ignorat.

Scripſit ille, vir eruditus ſimul & humanioribus litteris expolitus, Poëmata varia Latina lingua expreſſa, non ſane invenuſta, ſatiſque probata, utpote quæ Poëtarum veterum optimorum lepores non inſcite redoleant, Catulli præſertim atque Ovidii, quos ſibi præcipue propoſuerat imitandos : quæ quidem carmina, cum mores pudicos quandoque minus ſapiant, *Juvenilia* quidam inſcripſere, tanquam a Beza ſcilicet juvene nondumque maturo

Digitized by Google

per laſciviam factitata ; cum tamen, in editionibus præſertim recentioribus, plura extent, quæ conſtat, ipſo Beza teſte, eumdem jam ſenem factum compoſuiſſe.

Poëmatum porro iſtorum variæ circumferuntur editiones, treſque præ ceteris ſummo omnium plauſu ab orbe litterato comprobatæ, hodieque in primam librorum rariſſimorum claſſem referendæ : quarum quidem eſt antiquiſſima prima, quæ Pariſiis prodiit anno 1548. eodem videlicet, quo annum agens ætatis vigeſimum nonum, Beza deſertor avitæ religionis in caſtra adverſariorum transfuga nunquam rediturus exceſſit ; emendatiſſima, ut aiunt, altera, quanquam & ipſa mendis non paucis aſperſa, quæ nec anno, nec Typographi nomine appoſito, calva humana in fronte inſignitur ; iſtis vero multo auctior tertia, quæ anno 1599. eſt excuſa, & ab ipſo

Beza tunc admodum ſene forſitan recognita, utpote quæ, cum vario carminum genere locupletata ſit, quæ deſunt in editionibus anterioribus, pluribus interim careat minus caſtis, quæ in illis reperiuntur: unde conjectari licet, ab ipſo auctore, jam tum capulari ſene, poſteriorem hanc forſan fuiſſe caſtigatam.

Ut ut ſit, priores illæ editiones cum jam rariores evaſerint, omneſque ſint minus eleganter expreſſæ, recentiorem hanc noſtram exhibemus tibi, Lector benevole, charta puriſſima typiſque nitidioribus excuſam, & ad anteriorem illam præcipue, quæ calvam humanam in fronte præ ſe fert, ſumma fide atque diligentia recenſitam; quam tamen operæ pretium duximus expurgare mendis, & novis etiam poëmatibus aliquot, ex editione tertia deſumptis, adaugere: ne quid eorum in hac noſtra deſideraretur, quæ

Digitized by Google

aut elegantiam ſpectent, aut requirant emendationem.

Tu porro, Lector benevole, noſtrum in hoc ſtudium, qualecunque ſit, æqui bonique conſulas velim, noſtroque in rem litterariam amori pergas bonus indulgere. Vale.

Digitized by Google

THEODORI BEZÆ
POEMATA.
EX SYLVARUM LIBRO.

DEVOTIO P. Decii Patris, qui ſe Coſ. devovit pro legionum ſalute, bello cum Latinis ad Veſerim geſto. De quo Livius lib. 8.

SYLVA PRIMA

JAM Romana acies verti, jam cedere lævo
Cœperat in cornu virtus Romana, nec ullum
Subſidium eſt, retroque omnis ſpes lapſa referri:
Cum geminas Decius tendens ad ſidera palmas,
Quo ruitis? dixit: quò virtus priſca receſſit?
Unde fuga hæc? unde iſte timor? vos cedere notis
Hoſtibus, & toties victis dare terga Latinis?
At moveat jurata fides, ſanctique Senatus
Imperium; moveantque foci, moveantque penates.
Dixerat: interea premit undique fervidus hoſtis,
Deſerta fugiunt trepidi ſtatione Quirites.

Digitized by Google

Ille autem intrepidus : Quos Conſul ſiſtere voce
Non potui, dixit, revocabo morte ; ſacrati
Me dudum hoc Vates monuere, jecurque reciſum.
Ergo age, ſacrorum ô cuſtos, concepta profare
Carmina : Romanis Conſul ſit victima, noſtro
Sanguine quæratur victoria, ſanguine noſtro
Placentur ſævi Manes, placetur Erinnys.
Mox igitur prætextam armis imponere juſſus,
Velatuſque caput, mentoque innixus, & imis
Subjecto pedibus telo, imperterritus heros
His ſe devovit verbis, præſante miniſtro :
Jane, & tu cuſtos Capitolî Jupiter, audi,
Et gemini Romæ auctores, Mavorſque, Quirineque,
Et reliqua in noſtris notiſſima numina faſtis ;
Vos etiam, ô Manes, Decium hæc audite precantem :
Si qua premit patriam invidia, & nunc vincere Romam
Crimina ſi qua vetant, tandem deponite, quæso,
Invidiam, ô Divi ; Decius luat omnia ſolus.
Servetur patria incolumis, pulſoque Latino,
Sublimes ducant Romani ex hoſte triumphos.
Interea, Collega, aciem patriamque tuere :
Indubiam ipſe fero mortemque fugamque Latinis.
Deſierat : faciem lux protinus occupat ingens,
Qualis poſt noctis tenebras cum Thetide Phœbus
Deſerta, illuſtrat ſplendenti lumine terras.
Talis hic inſiliens in equum ſublimis, habenas
Laxat, & in medios volat imperterritus hoſtes.
Illum fulgentemque armis, cinctuque Gabino,
Ipſe admiratur Veſeris ; miratur & ipſe
Jupiter, & lævum tonat. Audito omine læti

Digitized by Google

Proſpiciunt Romani omnes, oculiſque ſequuntur,
Atque hominem eſſe negant Decium. Jam terga Latinus
Vertit, & adventu unius mutata repente
Sors omnis: redeunt acies, animiſque receptis,
Inſtant victori victi, tandemque feroces
Romanus pellit, Decio moriente, Latinos.

MORS CICERONIS,

EX LIB. HISTORIARUM LIVII CXX. ET VITIS PLUTARCHI, ET VALER. MAX.

SYLVA II.

Ergo ut ventorum rabiem, pelagique furorem
Indomitum aſpexit, fatis heu poſcitur, inquit,
Poſcitur infelix Cicero: convertite vela,
Et me vicinæ moriturum reddite ripæ.
Scilicet has grates gladiis erepta tuorum,
Patria, perſolves? moriar: ſic numina divûm,
Sic voluêre dei, ſervata ut Conſul in urbe
Tullius intereat. Nec plura effatus, ab imo
Corde trahens gemitus memoratæ ad nomina Romæ,
Imbre oculos, lachrymiſque genas implevit obortis.
At licet aſſiduis exercita turba periclis,
Inviti lachrymas nautæ tenuêre, diuque
Obnixi ſævos pelagi tranſcendere fluctus,
Omnia laxarunt iratis carbaſa ventis,
Et tandem incolumem ſtatuerunt littore proram.
Deſcendit mœſtus Cicero, multoque labore

Digitized by Google

Membra trahit confecta ſenex ; ſimul undique magna
Circunſtabat herum ſervorum turba, periclis
Nec nimium ſtupefacta ſuis, nec tempore duro
Pollicitam fractura fidem : pars apparat enſes,
Pars domino aſſiſtit, cæcaque ambage viarum
Lecticæ impoſitum ducunt, ſi fallere ſævos
Antonî poſſint gladios, turbæque ſequentis
Evitare minas. Sic ibat Tullius ille,
Tullius ille togæ princeps, magnique Senatus ;
Cum procul adventare viros, inimicaque ſigna
Conſpicit, & ſtricto mortem procul enſe minantem
Poppilium, cujus quondam ſervaverat ipſe
Fortunas vitamque rei, cum libera Roma
Olim illum audiret, miraretur que tonantem.
Jam quoque ſævus adeſt, & poſcit Herennius hoſtem.
Quid faciat ? num forte manus protendat inermes,
Aut mercede petat veniam ? num flectere verbis
Defenſi quondam conetur militis itas ?
Hæc ætas virtuſque vetant, & pectore in alto
Fixus amor patriæ, Romæque cadentis imago.
Vertite, ait, currus ; plenis curratur habenis
Immeritam in mortem : me pridem nuncia Phœbi
Poſcit avis, cœloque novum conjungere civem
Jupiter exoptat. Bruti Caſsîque beatæ
Vivite vos animæ : quod ſi non omnia nobis
Fata nocent, forſan nec nos moriemur inulti.
Jam vixi mihi, Roma, ſatis ; me vita vereri
Acta vetat nigræ damnoſa oblivia mortis.
Occidite : at noſcent venturi cuncta nepotes,
Æternamque dabunt morienti hæc funera vitam.

Digitized by Google

Immo (aut fallor ego, & fruſtra tibi, Roma, creatus
Augur eram quondam,) non ſemper amica favebit,
Antonî, Fortuna tibi, civeſque peremptos
Tempus erit victrix à te quo Roma repoſcat.
Me juvet interea ſperatum inviſere cœlum.
Deſierat, jugulumque parans, immota tenebat
Ora ſenex: illum properantem in fata nec ipſi
Aſpiciunt equites læti; poſitoque furore,
Ut nudum videre caput, canamque ſenectam,
Vix tandem inviti lachrymas tenuêre cadentes,
Et pene è manibus gladii cecidêre cruentis.
Unus torva gerens truculentus Herennius ora,
Degeneres quid ſtatis? ait: ſimul enſe ſuperbo
Colla ſecat, nec adhuc ſatiatur cæde, ſceleſtum
Adjunxiſſe ſcelus ſceleri juvat; ergo diſertis
Auſas Antonî vitam ſignare tabellis
Cædit & ipſe manus. Morientem vidit ab alto
Invitus cœlo Phœbus, piceaque refertur
Nube caput texiſſe diu; flevêre cadentem,
Et flebunt Latiæ æternum Graiæque Camœnæ.
Flexanimis vero Pitho (mirabile dictu)
Sueta illi quondam, tum res, tum verba loquenti
Suggerere, & ſuavi conſpergere nectare linguam,
Ut patuit jugulus, fugiente aufugit amico,
Et terras, eheu nunquam reditura, reliquit.
Poppillius volat interea, truncoque relicto,
Antonî portat ſævis ſpectacula menſis.

NATALIA DOMINI.

SYLVA III.

NOCTEM alius laudet, miſero quæ munus amanti
Optatum attulerit, facilemque ad vota puellam
Præbuerit, veteris fœcunda incendia flammæ,
Cæteraque obſcœnis olim cantata poëtis.
At vos, pars equidem cœli non infima, vates,
Nec divinum animum ad turpes convertite curas,
Nec calamos adeo infami exercete labore.
Intactas Helicona ferunt habitare puellas,
Inque alias ardens, Muſis eſt caſtus Apollo;
Innupta eſt Pallas: veſtris quæ numina ſacris
Sola placent. Procul ergo Venus, procul eſte ſcœleſti
Deliciæ pueri; caſtis tu caſta Camœnis
Materies, ô Nox, eſto, quæ Virginis olim
Vidiſti in ſacros aperiri viſcera partus,
Viſcera quæ cœli tempeſtatumque potentem
Geſtavere Deum, tandemque illæſa dedêre
Humanis cernendum oculis: tu conſcia partus
Prima novi, tu naſcentis primordia lucis
Luce prior, Nox, vidiſti. Te cæca vetuſtas
Ah nimis immerito cæcamque atramque vocabat,
Illius primos ſolis quæ ſenſeris ortus,
Ipſe accepta refert clarus cui lumina Titan,
Et quæcunque micant ſplendenti ſidera cœlo.
Tu teneri primos vagitus prima puelli,
Tu primos cœli plauſus, tu gaudia mundi

Audiſti, Nox ò felix; cùm læta volantum
Ad domini cunas reſonarent agmina fratrum,
Et Domino totus naſcenti applauderet orbis.
Tu vili impoſitum fœno, ſtabuloque jacentem
Es mirata ſimul, ſimul es miſerata puellum.
Tu quoque paſtorum pietatem, & neſcia fraudis
Pectora mirata es, cum Tityrus inde relictis
Accurrens gregibus, CHRISTI natalia lætus
Viſeret, hinc caderet Damoetas, ſurgeret *Ægon*,
Dum coeli monitis & clara voce Deorum
Attoniti, properant naſcentem inviſere regem.
Quid caſtæ matris curas, immixtaque curis
Gaudia commemorem? dum tanto pignore, coeli
Conſortem agnoſcit ſeſe, natumque tuetur
Ante pedes, naſci quem viz dum ſenſerat ipſa
Parturiens pariensque ſimul, virgoque parenſque.
At vos interea ſpatioſa per atria reges,
Aut medios inter luſus, turpique lupanum
Immixti turbæ, infelix traducitis ævum,
Aut ſaturo efflatis pigros è pectore ſomnos,
Progenies indigna polo, quibus ipſe recuſat
Committi Dominus naſcens, & natus abhorret.
Felices tenebræ, quantumvis clara diei
Lux collata quibus, non lux, ſed opaca videtur
Nox potius: nam certa diem ſua tempora claudunt,
Et vicibus certis Phoebus ſurgitque caditque.
Eſt quoque cum ingratæ vicinus ab orbe ſororis
Sic premitur, nigra ut tectus ferrugine vultum,
Quod reliquis præbet, lumenque jubarque requirat.
At vobis, tenebræ, qui præbet lumina Titan,

Digitized by Google

Phoſphorus ipſe ſibi eſt, & non finitur horizon.
Sed cur poſtremo Patres te menſe locârunt,
O nox, cui primæ acceptam referre ſalutem
Et decet & fas eſt ? cur non hæc inchoat annum
Nox, quæ felicis ſpem nobis reddidit ævi ?
Scilicet exactos quæ nox finire labores
Spondet, & æternæ promittit munera pacis,
Jure etiam exactum finire hæc debuit annum.
Adde quod hoc primum redituri tempore Phœbi
Spem capimus, ductore Capro. Jure ergo revectos
Uno menſe duos olim memorare Vetuſtas
Inſtituit ſoles : jure, ô Nox fauſta, piorum
Relligione Patrum toto vigilaris in orbe,
Applauſuque ſonas ; ſed non tamen orgia qualem
Edere conſuêrant, ebrio cum ſacra Lyæo
Inſanæ facerent matres, atque æra ſonarent
Semiviri quondam ad Cybeles altaria Galli ;
Sed qualem decet eſſe virûm, queis pectore in alto
Mens habitat, cœli patrium quæ ſpirat amorem.
Ipſe equidem tibi ſacra feram, Nox ſacra, quotannis,
Solenneſque preces addam, ô nox optima, noſtris
Materies nimium felix inventa Camœnis.

PRÆFATIO POETICA
in Davidicos Pſalmos, quos Pœnitentiales *vocant.*

FORTE pererratis cœlo, terraque, marique,
Ales amor ſacras Judææ callidus urbes
Viſebat, pharetraque minax, flammataque geſtans

Tela manu; jamque hoſpitium, ſedemque petebat
Venturæ nocti: dumque acres undique verſat
Sæpe oculos, dubitatque etiam qua ſede moretur,
Tandem ad Berſabes convertit lumina formam;
Et mox tam raras mortali in corpore dotes
Miratus, virideſque oculos, frontemque patentem,
Purpureaſque genas, pulchri & diſcrimina naſi,
Os roſeum, & flavos per eburnea colla capillos,
Marmoreumque ſinum, porrectaque brachia longè,
Et teretes digitos; hæc dum notat omnia, fertur
Attonitus tacita ſecum ſic voce loquutus:
  Quid vos cœlorum formam, celereſque rotatus,
Sidereoſque ignes adeo, matriſque Diones
Laudatis, Superi, vultus? cum barbara cœli
Luminibus Virgo officiat: me ludere in iſtis
Fas oculis; juvet hinc acres vibrare ſagittas:
Hæc eſt digna Deo ſedes; procul ergo pharetræ
Eſte graves; ſint arma procul: namque iſta miniſtrant
Lumina tela mihi, lunataque porrigit arcum
Umbra ſupercilii. Hinc regum Mavortia corda,
Fallor ego, aut infans olim viciſſe Cupido
Credar, & hæc varias ſpargetur fama per urbes.
  Dixerat: & ſubito, pharetraque arcuque relictis,
Aëreum ſumit corpus (mirabile dictu)
Corporeis tam rarum oculis, ut cernere nemo
Mortalis poſſit, quantumvis cernat acute.
Sic indutus amor formoſam hinc inde puellam
Obſervat tacitus furtim, tandemque repertis
Seſe oculis infert, claroque in lumine condit.
Illa Deum ſenſit venientem, & læta recepto

Digitized by Google

Hoſpite, nil præter Veneris jam cogitat artes;
Omnibus arridet pulchræ ſibi conſcia formæ:
Nunc ſinit impexos extrema in fronte capillos
Ludere, nunc varia diſcriminat arte vagantes:
Jam celare ſinum ſimulat, mammaſque coërcet,
Et ſuper objectat tenuis velamina telæ:
Jam cunctas oſtentat opes, colloque ſuperba
Nudato, pulchra mentitur imagine divam.
Interdum excultis illi qui ſtabat in hortis
Marmoreo inſignis labro, ſe fontis in unda
Nuda lavat, celereſque oculis jaculatur amores.
Hanc igitur caſu, vitreo cum fonte lavaret,
Judæis David qui tum regnabat in oris,
Aſpexit, vir nec cuiquam pietate ſecundus,
Nec quoquam inferior vates: ſeu fundere dulce
Ore melos, digitis ſeu tangere plectra juvaret.
Quid non audet amor? Regis doctique piique
Protinus excuſſo violavit lumina telo.
At pavidus tanto caligat lumine David:
Ecce irrumpit amor dominus, ſparſiſque veneno
Senſibus, humenti jam calfacit oſſa calore,
Et victor tandem infligit ſub pectore vulnus:
Mens quoque victa labat, flammiſque oppreſſa fatiſcit.
Ipſe ſui oblitus cæcas ſub pectore flammas
David alit; nec jam ſtudiis incumbit honeſtis,
Nec ſibi jam quærit ſeſe quibus artibus ipſe
Afferat: hoc unum noctuque diuque labore
Sollicite volvit magno, qua callidus arte
Efficiat, forma ut tandem potiatur amata.
Quid faciat? blandis adjungit munera dictis,

Digitized by Google

Paret Berſabe, tantoque auctore peracta
Culpa placet: favet inceptis Fortuna nefandis.
Nec mora longa fuit: tumido mox addita ventri
Sarcina; ſed nondum David ſua gaudia credit
Plena ſatis: res ipſa placet, crimenque probatur;
At metuit famam, dicique recuſat adulter.
Adde onus ignaro conceptum conjuge; quippe
Forte aberat longe Urias, & tempore in illo
Pro patriæ afflictæ rebus, publicaque ſalute
Tractabat gladios miles: revocatur in urbem
Principis imperio; paret, caſtriſque relictis,
Juſſus adeſt. Illum nec formoſiſſima conjux,
Nec nati traxere domum; ſed principis aulam
Ingreditur properans: ſimulato plurima vultu
Inquirit David, quam tandem exercitus urbem
Obſideat, quibus incluſus ſit mœnibus hoſtis,
Eventu quonam pugnatum: ſingula pandit
Ille, nec infelix novit quàm dira parentur.
Quippe, licet menſa exceptum, vinoque madentem
Conjugis ut ſpreviſſe toros, aulaque manere
Aſſiduum vidit David, jam cenſet apertum
Omne ſcelus, jam facta palam ſua crimina credit.
Vis igitur, ſed tecta placet, capitique parantur
Conjugis inſidiæ. Tam magnum eſt numen Amoris!
Scilicet ignorat leges cum matre Cupido.
Jam nil jura valent, nil magni juſſa Tonantis,
Expertuſque favor Divûm: jam victus amore
Ipſe odit ſeſe. O ſemper nocitura voluptas,
Ut tranſverſa rapis mortalia pectora tecum!
Nox erat, & late carpebant omnia ſomnos;

Digitized by Google

At vigil inſano fraudes in pectore David
Mille parat; calamum tandem poſcitque tabellas;
Et ſe de patriæ rebus dum ſcribere multa
Verſutus ſimulat, verſa in contraria mente,
Imperat ut pugnæ ſtatuatur in ordine primus
Urias, primuſque ruat moriturus in hoſtes.
Ergo ut prima dedit venientis ſigna diei
Lucifer, Uriam mox in ſua caſtra reverti
Rex jubet, inſcriptaſque duci perferre tabellas.
Lætus at ille volat, nec ſe ſua fata tenere
Clauſa manu novit: tandemque in fronte locatus,
Immeritam infelix petiit per vulnera mortem.
Hæc pater omnipotens ex alto ſingula cœlo
Cernebat, jam tum iratus, cum cedere fœdi
Imperio inſanum regem ſpectaret amoris.
Ut vero inſontem cecidiſſe agnovit amicum,
Et fuſo hoſtiles gladios tinxiſſe cruore;
Tum demum infremuit totus, vultumque ſerenum
Iratus poſuit: tremuerunt omnia late,
Terribilique procul ſonuerunt aſtra fragore.
Protinus exorto compleri murmure cœlum
Turbato cœpit Domino, veniuntque frequentes
Aligeri fratres. Quæ tanti cauſa tumultus
Inter ſe rogitant trepidi, quæ litis origo,
Quos hæc ira notet: num totas fulmine terras
Perdere forte paret, num cœli extrudere cives,
Aut priſcum revocare chaos. Quippe affore tempus
Audierant, ipſos olim quod verteret orbes
Cœlorum, & totum flammis miſceret olympum.
Cœlorum in medio, qua ſe ſuper omnia tollit

Digitized by Google

Sublimis moles mundum complexa rotundum,
Stat thronus, & gemmis totus conflatus & auro.
Hîc Divûm reſidet Princeps, hinc ſingula cernens,
Temperat æterno componitque omnia nutu.
Hunc geminæ circum dicuntur ſtare ſorores,
Juſtitia & placido lenis Clementia vultu.
Altera diſtricto cunctis velut enſe minatur,
Turbatiſque oculis teſtatur pectoris iras.
Altera blanditurque oculis, ſimiliſque precanti
Vertere commoti memoratur numinis iras.
Huc igitur poſtquam convenere undique Divi,
Tum pater iratus: Quænam hæc dementia, quænam
Improbitas, inquit? noſtrum contemnere numen
Mortales audere viros, & pectore ferri
Indomito auctorem contra? Quid plurima fando
Commemorem, terræque datas totius habenas 1,
Et maris imperium, liquidoque volantia cœlo?
Mentem ego divinam tribui, quæ libera mortem
Deſpiceret, quæ me, quæ cœli ediſceret orbes 2.
Hoc cunctis commune bonum: quid propria natis
Commoda nunc referam toties conceſſa Jacobi?
Vos meminiſtis enim regis contuſa ſuperbi
Pectora 3, vos medio incedentes æquore turmas;
Deletaſque acies ſcitis, partoſque triumphos.
Scitis ut in terras ſpreto deſcendere cœlo
Auſus ego 4; ut leges illis & jura tuendæ
Tradiderim vitæ. Noſtri quoque teſtis amoris
Phœbus erit, ſueto vetitus deſcendere curſu 5:

1. *Gen.* 1.
2. *Pſalm.* 8.
3. *Exod.* 14.
4. *Exod.* 19. & *deinceps.*
5. *Joſ.* 10.

Digitized by Google

Et ſciſſæ Jordanis aquæ, ſonituque tubarum
Captæ urbes, pulſique ſua ditione Tyranni 1.
Hæc illis igitur tribui : quid maxima vero
Tot bona commemorem Jeſſæo præſtita vati 2 ?
Illi ego paſtori memini tribuiſſe coronam,
Ereptoque pedo ſceptrum donâſſe ferendum 3 ;
Mox etiam manibus vaſti eripuiſſe gigantis 4 :
Cumque graves urgere minas, odiumque Saülis
Senſiſſem, tutum ipſe dedi (miſeratus egentis)
Exilium 5, & placida florentia regna quiete.
Nunc tamen antiquos mores imitatus avorum,
Oblituſque mei, nec cœli ſpernere leges,
Nec crudele ſcelus ſceleri junxiſſe veretur.
Hinc leges, hinc jura tacent violata ſacrati
Conjugii ; hinc noſter non digna morte peremptus
Vindictam petit Urias : nunc ergo ſuperbum
Ulciſcar regis pectus, populumque ferocem
Delebo iratus, noſtri monumenta doloris.

Deſierat, toto exoritur cum murmur olympo :
Sunt qui dicta probent, ſcelerumque expoſcere pœnas
Fas æquumque putant ; pars quamvis ultima regem
Commeruiſſe ſciant, blandis tamen omnia dictis
Emollire parant, juſtumque arcere furorem.
Præcipue blando lenis Clementia vultu
Conqueritur lacrymans : nec enim ſi plectere dignis
Suppliciis homines placeat, jam fulmina poſſe
Sufficere, aut animas deinceps captura nocentes
Tartara, deſertum fore mox ſine civibus orbem.

1. *Joſ.* 3. & 6.
2. 1. *Reg.* 16.
3. 1. *Reg.* 16.
4. 1. *Reg.* 17.
5. 1. *Reg.* 27.

Digitized by Google

Fruſtra igitur toties miſeris mortalibus olim
Eſt promiſſa ſalus, 1 nec creſcere virga ſinetur
Expectata piis? Sua ſunt ſtata tempora poenæ,
Integra cum mundi peritura eſt machina flammis.
Ne, Genitor, ne te crudelem nomine dici,
Quæſo, ſinas: tua nota ſatis ſunt numina mundo.
At ſi poena placet, ſi res tam ſæva probatur,
Hoc unum rogito ſupplex, hoc pectore toto
Flagito, fas ut ſit ſceleris monuiſſe peracti
Davidem 2: feret ille preces, tandemque furore
Depoſito, ſcelus hoc illi noxamque remittes.
  Vix bene deſierat mitis Clementia blandas
Ferre preces, cum depoſita Pater optimus ira,
Conceptum penitus dilabi corde calorem
Senſit, & hæc tandem ſedato pectore fatur:
  Ergone nata meis conatibus obvia ſemper
Non ſinet iraci res tandem ut verba ſequatur?
Sed miſeros ſervare juvat. Sic fatus, abire
Imperat aligero divorum ex ordine lectum
Cæſarie inſigni juvenem, cui candida circum
Ludebat ſtola longa pedes, variæque micabant
Diſtinctæ veluti gemmis rutilantibus alæ:
Qualis ab Eoo vehitur qui Pſittacus orbe,
Aut nubes inter qualis nitet Iris aquoſas.
Hunc igitur propere Solymorum inviſere terras
Imperat Omnipotens, culpæque monere peractæ
Davidem, ſimul & poenas mortemque minari.
Ille abit, & liquidum variis ſecat æthera pennis.
  Forte & tempus erat, tacito cum victa ſopore

1. 2. *Reg.* 2. 2. 2. *Eccl.* 2.

Digitized by Google

Cunɫa ſilent, claroque micant nitidiſſima cœlo
Sidera: conſpecta tunc nuncius arce quievit,
Et mox humanam (dictu mirabile) formam
Induitur, vatiſque latet ſub imagine Nathan;
Iratis ardens oculis, vultuque minaci,
Sic medios inter ſomnos reprehendere crimen
Viſus, & ingratæ ſcelus exprobrare ſenectæ.

Tene, ait, ô regum rex peſſime, tene quietem
Ducere, quem ad pœnam poſcunt pro immanibus auſis
Tartara? Sic igitur turpem traducere vitam
Amplexus medios inter, geminoque nocentem
Crimine, cœlorum fas eſt convexa tueri?
Qui Divos, qui te, patriamque, tuoſque ſceleſtus
Prodideris, nec tu ſomnum, lectique ſuperbi
Delicias linques Divûm venturus ad aras?
Atqui tempus erit, moneo, cum cæde tuorum
Ipſe oculos paſces, bellique domeſtica ſurgent
Semina, & inceſtus, & fratrum vulnera cernes.
Tu modo flecte Deos lachrymis. Sic ille locutus,
Protinus in tenues fugiens evanuit auras.
At David monitis, & clara voce Deorum
Attonitus, nunc inviſos accuſat amores,
Nunc juſſæ meminit mortis, crimenque fatetur
Conſcius. Ergo toro vigil exilit, & ſua pugnis
Pectora contundens, ſceptrumq;, aulamq;, coronamq;
Abjicit, & partes animum convertit in omnes:
Ut Libyæ ſi quis ſitientia rura viator
Dum petit, in mediis ſævam conſpexit arenis
Tigrida, vel maculis diſtinctum terga draconem,
Horret ad aſpectum trepidus, cœptumque relinquit

Cautus iter, latebraſque petit tremebundus opacas.
Talis erat David, pulchra quem uxore potitum,
Nilque minus cœlo metuentem clara Deorum
Numina terruerant, & cognita vatis imago.
Multa eſt ante oculos Berſabe; at nulla calores
Intus flamma parit: victus cum matre Cupido,
Et pavor in vacuo ſolus jam pectore regnat.
Quid faciat? num vel miſerum ſe ex arce ſuprema
Præcipitet, vel viſceribus crudum induat enſem?
Num veniam expoſcat, juſtaſque avertere Divûm
Conetur lachrymis iras? Palatia pone
Antrum erat horrendum, fracti quà culmina montis
Exeſas vaſta claudebant mole cavernas;
Horrebant rubis late omnia, & undique ſentes,
Dumique, tribulique, & Soli ignota vorago.
Hæc igitur pavidus ſublimi David ab arce
Singula ſpectabat, dubius vitamne, necemne
Eligeret: nunc cœlum oculis atque aſtra petebat
Attonitus, largo nunc turgida lumina fletu
Fixa tenebat humi; tandem circunſpicit antrum,
Et mox: Tu noſtri domus, inquit, conſcia luctus,
Tu mihi teſtis eris juſtorum ſola dolorum;
Sic faveas noſtro rubicunda ex crimine Luna:
(Forte erat, aut viſa eſt Phœbe rubicundior). At vos
Sidera, quæ inviſos toties vidiſtis amores,
Mutatum ſpectate virum. Sic fatus, eburnam
Suſpendit zona citharam, qua ſuetus ad omnes
Mentis erat curas uti, qua ſæpe ſonante
Depulerat ſævos inimico à rege furores.
Ergo abit, atque ſago velatus membra cucullo,

Digitized by Google

Præcipitis tandem evadit ſuper ardua montis
Culmina: mox antrum ingreditur, largoque madente
Imbre oculos cœlo attollit; tandemque recepta
Mente, miſer tales tremebundo pectore fletus
Orditur, mœſtas cithara reſonante querelas.

THEODORI BEZÆ

ELEGIÆ.

AD LECTOREM, ELEGIA I.

Tu quem naturæ nobis conſenſus amicum
  Fecit, & è ſimili ſidere natus amor :
Quiſquis eris, niſi vel locuples te curia totum
  Poſſidet, & rauci ſollicitudo fori ;
Aut niſi te Hippocratis retinent, pia cura, medelæ,
  Aut totum aſſervit pagina ſacra ſibi ;
Vel niſi te Pallas ſtudiis melioribus aptum,
  Et Venerem, & Veneris tangere ſcripta vetat;
Aſpice quam miſere inſano conſumar amore,
  Quam lateat noſtro pectore ſæva Venus !
Si bene te novi, cum legeris omnia, dices,
  Non erat hic tali dignus ab igne coqui.
Attamen hoc fruſtra : nam talia fata Sorores
  Nondum etiam nato conſtituere mihi :
Ut quamvis nil ipſe habeam quod poſſit amari,
  Experiar Veneris tempus in omne faces.
Quodque magis mirum, cum nos potiamur amica,
  Qua non eſt flammis dignior ulla meis,
Perpetuæ tamen exagitant mea pectora curæ,
  Et premit inſomnem ſollicitudo comes.

Digitized by Google

Sive graves obſcura mihi nox clauſit ocellos;
Tunc quoque cum jaceam ſemiſopitus, amo.
Seu vigilo, præter noſtras nil cogito flammas:
Candida luminibus proxima ſola meis.
Hei mihi, quæ nuper nobis inſomnia miſit
Ille puer, quantis luſit imaginibus!
Nec piguit noſtrum populo narrare furorem,
Et Phœbum in ſomnos ſollicitare meos.
Quippe etiam hæc nobis nevêre incommoda Parcæ,
Nequitiæ fiam teſtis ut ipſe meæ.
Id tamen exemplo liceat feciſſe Tibulli:
Sic Nemeſis flammas, culte Tibulle, canis.
Cynthia ſæpe tibi sic eſt cantata, Properti;
Sic eſt Naſoni dicta Corinna ſuo.
Hi tamen æternum meruerunt carmine nomen:
Dî faciant, poſſim poſt mea fata legi.
Scilicet hoc unum noſtros ſolatur amores;
Hoc facit ut placeat, quæ mihi flamma nocet.
Sive autem id nobis veniens conceſſerit ætas,
Seu me quæ vulgum fata ſevera manent:
Sic ſaltem vixiſſe mihi, te teſte, placebit,
Exemplo ut fieres cautior ipſe meo.
Quippe, aut fallor ego, aut noſtros cum legeris ignes,
Et mea cum fuerit ſors bene nota tibi,
Sedulus hoc deinceps, & tota mente cavebis,
Ne ſimili mecum ſis ratione miſer.
Noſtra utinam tibi flamma ferat tot commoda, lector
Quot dedit auctori maxima damna ſuo.

IN

Digitized by Google

IN MEDIOCRITATIS LAUDEM.

ELEGIA II.

NON fruſtra ſolita eſt medium laudare vetuſtas;
Nam nil laudari dignius orbis habet.
In medio poſita eſt virtus : hinc indeque fallax
Tota ſiniſtra via eſt, totaque dextra via eſt.
Icare, ſi patrem eſſes inter utrumque ſecutus,
Icarias nullus nomine noſſet aquas.
Si medio Phaëton manſiſſet calle ſuperbus,
Non eſſet ſæva terra peruſta face.
Nec lenis nimium, nec durat ſæva poteſtas :
Quæ medium ſervat, ſola perennis erit.
Te nimia, ô Juli, clementia perdidit olim :
Occîdit feritas te, truculente Nero.
Auguſtus felix cur multos manſit in annos ?
Nec facilis nimium, nec truculentus erat.
Nec nimis ipſe coli, nec ſperni Jupiter optat;
Sed magis una juvat mens moderata deos.
Largus opum nullus, nullus laudatur avarus :
Magnus, in his potuit qui tenuiſſe modum.
Antonî menſas ſic vicit cœna Catonis,
Et tenuem melior fama ſecuta larem.
Nec gracilis ſtructura nimis, nec craſſa probatur :
Hæc ſpectatori diſplicet, illa ruit.
Ut moderata juvant, ſic ægris pharmaca multis,
Heu nimium multis, ſæpe petita nocent.

Digitized by Google

Dicere plura nefas credo : nam laude nequaquam
Efferri immodica ſuſtinet ipſe modus.

ELEGIA III.

Cornua bis poſuit, bis cepit cornua Phœbe;
Nec tamen es tanto tempore viſa mihi.
Vivo tamen, ſi vita poteſt tibi, Publia, dici,
Mœrorem & lachrymas quæ fovet una meas.
Certe dura mihi mors ſæpe in vota vocatur,
Mors finem lachrymis impoſitura meis.
Non aliter queritur ventrem durare Prometheus;
Et poſito mallet numine poſſe mori.
Fallor enim, aut quiſquis figmenta hæc repperit olim,
Vulturis eſt illi nomine dictus amor.
Quæ non viſa mihi platea eſt? quid in urbe relictum?
Urbe tamen tota Publia nulla fuit.
Ergo vel miſeram cohibent te conjugis iræ,
O non tam ſævo fœmina digna viro!
Vel populoſa tibi ſordere Lutetia cœpit,
Et placidi ruris dulcior aura placet.
Forſitan in ſylvis noſtros meditaris amores,
Et tuto velles omnia ferre loco.
Ibo igitur; nec me quicquam retinebit euntem,
Donec ſis aliquo ſola reperta loco.
Interea manuum ſerves, collique colorem,
Et fieri nigras ne patiare genas.
Tecta incede caput : nam te ſi cernat Apollo,
Ardeat in vultus uſtus & ipſe tuos.

Digitized by Google

In ſylvis lauri veſtita eſt cortice Daphne:
Hei mihi, ſi de te fabula talis erit!
Caliſto in ſylvis ſummo eſt compreſſa Tonanti:
Ne rogo, ne placeat Jupiter iſte tibi.
Heu! quid non timeo! latronum hîc regna teguntur:
Quiſquis es, hinc aufer, prædo cruente, manus.
Actæon doceat violati numinis iras:
Dictynna certe non minor iſta Dea eſt.
Quid loquor? ô noſtræ pars maxima, Publia, mentis,
Non poterunt aures iſta ferire tuas.
O utinam præſens verba obſervare legentis,
Et frontis poſſem ſigna notare tuæ!
Optima tunc noſtro ſpes addi poſſet amori,
Et poſſem mecum dicere, lenis erit.
Perveniam certe quacunque morêris in urbe,
Sive aliquo potius, Publia, rure lates.
Perveniam, & ſi non mea per ſe forma loquatur,
Fortunæ fiam nuncius ipſe meæ.
Quod ſi ſurda preces auſis contemnere noſtras,
Nempe meæ ſubito conſcia cædis eris.
Attamen hoc media nobis in morte placebit,
Quod tu cauſa meæ, Publia, cædis eris.

ELEGIA IV.

Si tibi ſinceri nomen bene quadrat amici,
Cur mihi quæ tota eſt candida, nigra tibi eſt?
Cur quoties caleo dixi, tibi frigus in ore?
Cur mihi quod gelidus Caucaſus, Aetna tibi eſt?

Digitized by Google

At ſaltem ſi viſa prius tibi noſtra fuiſſet;
  Si conſpecta foret, quam violata, prius;
Vel me fallit amor, vel ſi tibi viſa fuiſſet,
  Eſſemus forma captus uterque pari.
Quod ſi tam pulchris non eſſes captus ocellis;
  At levius poteras tunc tamen eſſe malus.
Perfide, quis noſtros unquam accuſavit amores?
  Candida quo tandem judice facta rea eſt?
Actor es & judex idem: ſuccurrite jura;
  Lædit Romanum perfidus iſte forum.
Parce tamen, verbis uti ſi cogor acerbis:
  Hei mihi, quod ſic eſt imperioſus amor!
Nunc faveo, Lodoïce, tibi; nunc urit amica;
  Et fidei memorem me jubet eſſe meæ.
Utrique eſt juratus amor, dominæque, tibique:
  Nunc, Cytheræa Venus, dic mihi, cujus ero?
Cur tranſverſus agor? duplici cur uror ab igne?
  Ah! fuerat nobis unica flamma ſatis.
Rectus amor, Lodoïce, tibi me fecit amicum:
  Neſcio cur placeat cauſa pudica minus.
Scilicet inſani merito creduntur amantes:
  Quiſquis amas, juris non potes eſſe tui.
Quod tamen eſt mirum, juſta eſt inſania nobis,
  Et videor demens cum ratione mihi.
Nam mea, ſi neſcis, (ſed neſcis, arbitror,) una eſt,
  Quam velit ipſa ſibi præpoſuiſſe Venus.
Sic caput erectum, ſic frons exurgit aperta,
  Sic virides oculos umbra decora tegit.
Sic oculi geminis radiant hinc inde ſmaragdis:
  Quæ fero, ſunt hujus vulnera prima loci.

Digitized by Google

Utraque ſic pulcher conjungit lumina naſus,
Purpureis ſic eſt conſpicienda genis.
Sic geminis roſeus color emicat undique labris :
O labris toties labra petita meis !
Hîc habitat quæ me tandem ſervabit, opinor,
Nunc in perniciem lingua diſerta meam.
Quid caput auratum memorem? quid eburnea colla,
Binaque quæ niveo pectore mala latent?
Cætera quid referam? quæ ſi non omnia novi,
Quis tamen eſſe ſuo corpore digna neget?
Et tamen hanc audes maculare & dicere nigram.
Deſine: habet certe numen & iſta ſuum.
Quæ niſi ſit precibus noſtris lenita, veremur
Ne *diſcas læſæ* quam gravis ira Deæ.
Nunc revoces quæ ſcripta tibi: ſit fœdere juncto,
Candida quæ nobis, candida & *illa* tibi.
Certe digna meis una es, mea Candida, flammis:
Dî faciant poſſim dicere, tota mea es.
Tunc licet inſanus tota deſigner in urbe,
Dum mea ſis, nihili nomina vana moror.
At tua qui nigra violârit nomina fama,
Hic hoſtis nobis, hic inimicus erit.
Illius efficiam, faveat modo notus Apollo,
Crimina deridens vulgus in orbe legat.
Tuque iterum noſtrum ſi lædas forte furorem,
Haud equidem vanas experiere minas.

ELEGIA V.

QUISQUIS amas, aiunt cuncti, fuge corpus amatum,
Vivere ſi cœco liber ab igne cupis.
Hei mihi ! te quoties fugi, mea Candida ! fugi :
Semper at in noſtro pectore regnat amor.
Ecce iterum, fateor, fugi te, Candida : verum
Et potui & poſſum dicere ſemper, amo.
Sive abeo in ſilvas, nobis ſuccurrit Adonis,
Et ſit triſtitiæ conſcia ſilva meæ.
Sive placent horti, quot florum hîc millia cerno,
Tot ſtimulis captum me premit aſper amor.
Narciſſum hinc croceum video, hinc flentes Hyacinthos
Hinc miſer ante oculos pulcher Adonis adeſt.
Magna quidem noſtræ fateor medicamina flammæ :
Sed me qui vincit, vincit & ille Deos.
At ſi prata juvant, ô quantas ſentio flammas !
Ardeo tunc flammis totus amoris ego.
Hîc videor Cereris fugientem cernere natam ;
Hîc videor furvi cernere Ditis equos.
Littora ſi ſpecto, vitreas tunc cogito Nymphas,
Fervidaque in medio numina ſæpe mari.
Quo magis evado montes ſublimis in altos,
Hoc propior Veneris ſit puer ille mihi.
Si placeant urbes, (vis ut ſemel omnia dicam ?)
Illic cum videam plurima, nulla placent.
Illius nunc carpo oculos, nunc illius ora :
Hæc capite, hæc pedibus diſplicet, illa genis.
Denique materies ſi dedit, crimina fingo ;

Digitized by Google

Et quæcunque aliis candida, nigra mihi eſt.
Quid prodeſt fugiſſe igitur, cum Candida præſens,
Atque adeo lateri ſit comes uſque meo?
Umbræ igitur merito quadret tibi, Candida, nomen:
Tale tamen nomen non decet iſte color.
Humanum potius debes deponere nomen,
Una ſimul gemino quæ potes eſſe loco.
Parce, rogo, quæcunque Dea es: ſubjecit & ipſa
Anchiſi ſeſe [res bene nota] Venus.
Ecce fugam fateor, veniam ne, Diva, negato:
Sæpe mihi veniam Jupiter ipſe dedit.
Ipſe quidem prima mox ad te luce revertar;
Quaſque voles pœnas, ſi patiare, feram.

ELEGIA VI.

Si te, diva Venus, genuerunt æquora quondam,
Si Veneris ſurdo numina nota mari.
Ne me, ne pelago jactatum deſere, Diva:
En madidus raucis undique vincor aquis.
Quæris ubi fluctus, ubi ſint ſæva æquora? nuſquam,
Sed mare, quo vexor, terra dat ipſa mihi.
Me miſerum! quamvis liquidis ſejunctus ab undis,
Auferor a ficto naufragus ipſe freto.
Hei mihi! quid ficto dixi? verissima nobis
Unda nocet, fictum res habet iſta nihil.
Nuſquam undas video, circumſtant attamen undæ:
Scilicet in ſicco curro, natoque mari.
Ecce iterum, ſicco cur dixi? nempe ſepulta

Digitized by Google

Ingenii vis eſt quantulacunque mei.
Hinc toties cogor mentem mutare priorem,
Muſaque diffidiis ingenioſa mea eſt.
Vos, oculi flentes, præbetis flumina puppi:
Hoc volat infelix flumine vecta ratis.
Nec venti deſunt, ventos ſuſpiria præbent;
Hæc laceram ducunt in ſua damna ratem.
Quid tacitos dicam ſtimulos, cæcumque furorem?
Dant ſtimuli remos, dat mihi vela furor.
Spes miſeræ eſt cymbæ clavus: ſpes optima Divûm;
Spes medicina malis una reperta meis.
Anchora ſunt humili deprompta e pectore verba,
Vix tamen iratas hæc remorantur aquas.
Firmus amor ratis eſt malus; ſunt dona rudentes:
Fune carina regi, munere ſueta Venus.
Navis es, ô anima inſano correpta furore:
Te miſeram cæcus navita ducit Amor.
Tempeſtas, ſcopuli: nempe ira odiumque timentur.
Dî faciant ut ſint ira odiumque procul!
Fulmina quæ vereor, ſunt verba minantia nobis:
Ah! procul a noſtro ſitis amore, minæ!
Si frons læta minus, ſi non, velut ante, ſerena,
Tunc madidis cedit feſſa carina Notis.
Sæpe igitur ventis currunt mea vela ſecundis:
Sæpe mihi forti carbaſa pulſa Noto.
Ut tamen eſt viſum littus, portumque ſubire
Jam paro, conſpecti captus amore ſoli:
Auferor infelix, quamvis multumque diuque
Coner in adverſo figere vela ſolo.
Tunc faciem littus mutat, poſitoque nitore,

Digitized by Google

Sidera palleſcunt ignibus orba ſuis.
Clamo tamen, liceat ſaltem mihi cernere ripas;
Redde diem miſero, Candida, redde diem.
Hæc ego dum gemino, referunt mea carbaſa venti;
Et ruit in noſtrum multa procella caput.
Spirant cuncta minas, crebrum micat æthere fulmen,
Mox oculis abeunt littora viſa meis.
Quod tamen eſt mirum, ſtat recto pondere malus,
Et nequeunt ſævo cedere vela freto.
Quem tot turbæ agitant, hunc, ô Cytheræa, negabis
Sentire inſani cuncta pericla maris?
Aut igitur totum moveas, Neptune, furorem,
Ut bibat inſanas obruta puppis aquas:
Aut facias tenſis intrem mea littora *venis*:
Ah! volui *velis* dicere! parce, Venus.
Parce, Venus: mea culpa levis, ſi culpa vocari
Mutatæ debet littera ſyllabulæ.
Si ſit culpa tamen, fateor, Venus, hæc mihi culpa:
Hæc, inquam, nobis optima culpa placet.

ELEGIA VII.

HEI mihi, quæ terrent pavidum mala ſomnia pectus!
Eheu, quæ trepido ſomnia viſa mihi!
At tu quiſquis amas, nec ſperes luce quietem,
Nec tacitas noctes polliceâre tibi.
Veſpere colla domum referunt leviora juvenci,
Et tacitæ requiem commeditantur aves.
Veſpere nunc ſtertit fuſca cum conjuge Paſtor;

Digitized by Google

Nunc venerem exercet, lætus & ipſe, ſuam.
Sol quoque poſtremas poſtquam pervenit ad undas
Fertur in ardentis Thetidos ire ſinus.
At nos perpetuis exercita turba periclis,
Quos inſana trahit poſt ſua terga Venus:
Sive dies præbet magno ſua lumina mundo,
Noſtra latent tenebris pectora cæca ſuis;
Seu nox nigra ſua terras amplectitur umbra,
Semper adeſt noctis ſollicitudo comes;
Ingreſſuſque toros, menti ſe callidus infert
Pulicis exiguo corpore tectus Amor.
Quiſquis es exemplum a nobis qui quæris, habeto;
Alterius damno cautus ut eſſe queas.
Nox erat, & variis vexatus pectora curis,
Credideram molli languida membra toro.
Necdum prima quies oculos bene clauſerat, ecce
Jam parat inſidias ſanguinolentus Amor.
Agmina cernebam, armataſque inſtare catervas;
Et, niſi fallor ego, vix, puto, ſomnus erat.
Agnovi procul ipſe acies, fulgentiaque arma;
Denique vera oculis agmina viſa meis.
Expecto trepidus, nec enim fugiſſe licebat:
Audio clamores, verbera ſæva, minas.
Aſpicio, en mediis mihi Candida cernitur armis,
Et laniata genas, & laniata comas.
Talis erat Paridi quondam cum rapta Lacæna eſt:
Thisbe, te extincto, Pyrame, talis erat.
Ille comam, ille togam flentis fruſtraque rogantis
Diripit: ille, mea eſt, clamat; & ille, mea eſt.
Dirigui, ut ſolus viſo prædone viator,

Ut ſtupet aſpectis agna relicta lupis.
Quid facerem ? jubet ira loqui, pietaſque, fideſque :
At monet aſpecta morte tacere metus.
Ira metum vincit : medios moriturus in hoſtes
Tendo, nec ceſſo dicere & ipſe, mea eſt.
Illa, ut me aſpexit : miſer, ah miſer, inquit, abito ;
Non tua tam miſero tempore digna fides.
Ah ! fuge, ſic levius moriar. Nec plura locuta,
Voce mihi viſa eſt deficiente mori.
Protinus exclamans, incuſo homineſque Deoſque,
Nec ceſſo vacuas ingeminare minas.
Illi adſunt, ſtrictoque mihi mucrone minantur ;
Nec miſerum ceſſant figere tela caput.
Tandem igitur cunctis unus congreſſus inermis,
Ipſe meæ viſus proximus eſſe neci.
Jamque cadens, charæ tangebam corpus amicæ,
Eſſet ut extremo tempore notus amor.
Ecce abit ex oculis tenues hic ſomnus in auras.
Territus, & vitæ vix bene certus eram.
Non aliter ſævi ſi quando dentibus hoſtis
Eripuit pavidam paſtor amicus ovem :
Illa, licet ſervata, tamen ſtupefacta periclo,
Vix tandem poſito diſcit abire metu.
Talis eram, ſudorque omnes manabat in artus,
Senſimus & rigidas undique ſtare comas.
Talem, quiſquis amas, tibi pollliceare quietem :
Talia ſpectabit ſomnia, quiſquis amat.

Digitized by Google

ELEGIA VIII.

LUDOVICO VALIDO.

Ut ſtupet emiſſo ſi quis Jovis igne petitus,
Ut ſtupet inſanis navita raptus aquis :
Sic ſtupui, poſtquam dira te febre retentum
In mœſto didici corpus habere toro.
Quid facerem ? nec erat nobis ars nota medendi ;
Nec, ſi tota foret cognita, tuta ſatis.
Sæpe ego, cum vitæ medicus ſpem redderet ægro,
Vidi inter medicas membra labare manus.
Ergo, quod licuit, cœlum ſuperoſque precatus,
Has cœpi pavida fundere mente preces :
Humanæ ſi quem tangit miſeratio ſortis ;
Si qua poteſt hominum tangere cura Deos ;
Quiſquis ades Superûm, juſtæ miſerere querelæ :
Crede mihi, venia res bene digna tua eſt.
Non ego divitias poſco, Crœſive talenta,
Non peto formoſæ conjugis eſſe virum.
Hoc peto, ſi qua pii vos cura attingit amoris,
Reddatur Valido priſtina vita meo.
Ille eſt, qui Superûm coluit ſtudioſus honores :
Nunc jacet in triſti pallidus ille toro.
Quid dixi ? magnis immo vult ſæpe querelis,
Quod meruit nullo crimine, poſſe mori.
Jupiter, & tu olim, non eſt hoc crimen, amaſti ;
Si ſcelus hoc, ſceleris ſidera plena tui.
Cauſa tamen nobis melior, quo caſtior hæc eſt ;

Digitized by Google

Cauſa pudicitiæ pondere nixa ſuæ.
Quid potuit ſceleris Validus patraſſe ? quis illum
Audiit ullius criminis eſſe reum ?
Decipit ebrietas humanam ſordida mentem :
Hinc ſcelerum nata eſt prodigioſa cohors.
Ergo ut vitaret Validus tua crimina, Bacche,
Non puduit lymphas præpoſuiſſe tibi.
Captivos hominum ducit Venus improba ſenſus :
Hinc ſcelerum nata eſt prodigioſa cohors.
Fallor ego, aut ſi qui Validum tetigiſtis amores;
Una laboranti Pallas amata fuit.
Ergo inſontem animam ne ſævus tollito, neve
Tela geras tanti ſanguine tincta viri.
Ecquid enim prodeſt rarum tribuiſſe colorem;
Tam color iſte brevi ſi periturus erat ?
Ingenium infudiſſe ſagax quid profuit illi,
Si vetet ingenio mors inopina frui ?
Quod ſi certa manet mortis ſententia fatis;
Si petit hoc etiam Parca ſceleſta caput :
Hoc facite, ô Divi, quæ nunc mihi vita ſuperſtes,
Ut Valido proſit, proſit & illa mihi.
Non inſueta precor : Ledæos fama gemellos
Dividua inter ſe vivere morte refert.
Sic nos attoniti Superos, Lodoïce, precamur;
Dî votis faciant pondus ineſſe meis !
Dî faciant mox ut nobis reddamur uterque;
Et poſito cantet muſa dolore jocos !

ELEGIA IX.

At pereat quæcunque meas extinguere flammas;
Quæ te cunque mihi tollere tentat anus!
Improba, læna, procax, mœcha, invida, dic age, curnam
Lædi viſa mea eſt digna puella tibi?
Vel quod tam caſtam non poſſis ferre puellam,
Et tibi tam conſtans non bene quadret amor.
Vel cum nulla meum turbarent jurgia lectum,
Diſplicuit placido pax in amore tibi.
Fallor ego, aut virtus potuit tibi neutra probari,
Diſſimilemque tibi ferre ſceleſta nequis.
Sic premitur forti mitis clementia bello,
Sic lupus in placidas it violentus oves.
At vos, qui noſtris vicinas jungitis ædes,
Sicne decet juſta credulitate rapi?
Scilicet audaces plectit Reſpublica fures:
Criminibus merito pœna reperta ſua eſt.
Non tamen indicta plectuntur crimina cauſa:
Hoc Latii prohibent optima jura fori.
Nos vero inſontes jam dicimur exules eſſe;
Quis tamen audivit criminis eſſe reos?
Cujus nocturno turbavi ſomnia cantu?
Cujus ego inveniar vi petiiſſe fores?
Anne ego cujuſquam mœchus connubia læſi?
Candida ſola mea eſt, Candida tota mea eſt.
Nimirum una anus eſt, quæ nos incuſat amoris:
O Venus! an ſcelus eſt numen amare tuum?
Si ſcelus hoc, cœlum fas ſit vocitare ſceleſtum,

Digitized by Google

Atque iterum in ſanctos bella movere Deos.
Hoc, Divi, prohibete nefas; mœchæque ſceleſtæ
Ignea in inviſum vertite tela caput.
Tene ego perpetiar miſero mihi, Candida, tolli,
Aut Veneris dici numen inane feram?
Nec contra obſiſtam iratus, magnoque furore
Præcipites iſtos pulverulentus agam?
Tunc igitur gladios acuam, tunc bella movebo,
Tunc invicta dabit vimque, animumque Venus.
Interea peragent vindictæ carmina partem:
Sic ulta eſt Vates ſæpe Camœna ſuos.
Ecquis enim Archilochi rapidos non novit Iambos?
Tu quoque, anus, noſtras experiare minas.
Tiſiphone quamvis tecum collata, videri
Jure oculos poſſit paſcere digna Jovis:
Macra licet tibi ſit facies, licet undique turpes,
Undique deformet pellis arata genas:
Emineat quamvis dens unus & alter ab ore,
Sordeat & canis tempus utrumque comis:
Te precor inſani rabies exedat amoris,
Et turpi incluſum pectore vulnus alas.
Digna tibi tamen interea videaris amari;
Te tamen immenſo nullus in orbe probet.
Sint nigro fruſtra demiſſa monilia collo;
Fruſtra oneret macras inſtita longa nates,
Diſpliceas merito cunctis, ſis fabula vulgo,
Nil niſi perverſam fama loquatur anum.
Te mater teneræ demonſtret ſæpe puellæ,
Et jubeat mores ſæpe cavere tuos.
Atque ita bis centum cum tandem impleveris annos;

Digitized by Google

Tunc cupias fruſtra, peſſima mœcha, mori.
Sæviat in macrum nodoſa podagra cadaver,
Atque diu infirmis ludat in articulis.
Dira lues paſſim putres diſtorqueat artus,
Fœdus ut abſentem prodere poſſit odor.
Teque notet, velut inviſum ſis omen, Aruſpex:
Horreat ad vultus fœmina, virque tuos.
Nec tamen hæc quiſquam medicari vulnera curet;
Nec manus auxilium porrigat ulla tibi.
Te potius ridens hinc indeque turba jacentem
Oderit, inviſum devoveatque caput.
Atque ita ter centum cum tandem impleveris annos,
Cedat ab infami corpore vita procul.
Silva rogum invideat, nec det tibi terra ſepulchrum,
Funeribus deſint ultima vota tuis.
Inferias peragant vulpeſque, caneſque, lupique,
Et ſi qua effuſo ſanguine gaudet avis.
Interea inviſos jubeat diſcedere Manes
Portitor, & Stygias tangere nolit aquas.
At tu deſerto ſtudeas in litore mœſta
Infernum precibus ſolicitare Jovem.
Atque ita millenos cum tandem impleveris annos,
Sis tandem Furiis addita quarta tribus.
Hoc facite, ô Divi, ſi caſtæ vota puellæ,
Si poſſunt caſti vota valere viri:
Hujus ut exemplo venerari diſcat Amorem,
Quæ juvenum flammis invida turba nocet.

Digitized by Google

ELEGIA X.

Dic age, cur vanæ juvat indulgere querelæ ?
 Cur juvat immites dicere, ſtulta, Deos ?
Nempe doles periiſſe comam, flavoſque capillos
 Tam ſubito glabrum deſtituiſſe caput.
Deſine, ſtulta, queri : nam quod periiſſe videtur,
 Tempora reddiderint non ita longa tibi.
Sic tibi ſæpe thymum, ſic & tondetur anethum :
 Mox tamen in frondes ſurgit utrumque ſuas.
Sic cum ſæpe roſas toto collegeris horto,
 Purpureas idem cras dabit hortus opes.
Fer modo & hæc, quamvis poſſit jactura videri
 Magna, feras parvæ tædia parva moræ.
Nec tamen interea plores periiſſe capillos :
 Quam periiſſe putas, credito, ſalva coma eſt.
Quippe hujus radios nuper miratus Apollo,
 Siderea dignam credidit eſſe domo.
Scilicet hinc ficto Berenices nomine tecta,
 Junctaque nocturnis ignibus illa micat.

ELEGIA XI.

Ecce iterum Jani nobis rediere Calendæ.
 Hei mihi ! quos luctus, funera quanta ferunt !
Roma Tito quondam celebrata eſt maxima magno,
 Eſt quoque Naſonis carmine dicta ſui.
Quæ te, Naſo, tulit, quæ te, Tite, ſuſtulit orbi,

Digitized by Google

Inter funeſtos eſt numeranda dies.
Non adeo infelix, quæ infames ſanguine Cannas
Lux videt, & Latio triſtia cuncta foro.
Nullum igitur munus nunc expectetis, amici:
Munera temporibus ſunt minus apta malis.
Fas mihi ſit Patrum priſcos contemnere ritus;
Fas mihi conſuetas mittere jure preces.
Cernite nunc triſti ploretur ut undique cœlo,
Merſaque demiſſo terra ſub imbre natet.
Ecce Venus pullo veſtita incedit amictu,
Dilaceranſque genas, dilaceranſque comas.
Et pharetræ oblitus, luctuque immerſus acerbo,
Naſonis cantat carmina mœſtus Amor.
Ipſe ſuas Janus damnatque, oditque Calendas,
Et ſua de faſtis tollere feſta parat.
Flet quoque Neptunus, flet rauciſona Amphitrite;
Et patrio plorat gurgite merſa Thetis.
Pelignæ lachrymis implent rura omnia Nymphæ,
Et querulus Patavi permeat arva Padus.
Tune igitur lachrymas retinebis, Roma, cadentes,
Nec poteris cœli queſtibus eſſe comes?
Hei mihi, quid te olim, demens Auguſte, coëgit
Naſonis ſacrum ſic violare caput?
Julius hoc olim non fecit avunculus, ille
Qui dedit Italiæ ſceptra ſecunda tibi.
Et te jam merito clementem dicere quiſquam,
Ingeniumve poteſt dicere mite tibi?
Quæ nunquam Auguſti potuit lenire furorem,
Scivit inhumanos flectere muſa Getas.
Namque Tomitanis exul lugetur in oris,

Naſonique parat barbara turba rogos.
Lugete, ô miſeri vates, totumque jubete
Parnaſſum alternos ingeminare ſonos.
Flentibus en aderit Phœbus, Pallaſque favebit,
Et peraget partes numen utrumque ſuas.
Vos quoque, quos cœli digniſſima cura fatigat,
Ne, rogo, ne quinta quærite luce lyram.
Illa etenim lumen cœlo, terriſque negabit,
Lætaque cum caro tartara vate colet.
At vos, ô Manes, quorum nec longa vetuſtas,
Nobile nec delet nomen avara dies:
Vos, inquam, ſolos Jani gaudere Calendis,
Vos, dare lætitiæ mutua ſigna, decet.
Quippe Titum vobis lux addidit iſta peremptum;
Hæc quoque Naſonis lux dedit arte frui.
Ergo occurriſtis, Manes, venientibus illis,
Totaque in amplexus mortua turba ruit.
Ennius inde pater medium complexus utrumque,
Hic, ait, eſt Latii gloria tota ſoli.
Mox Varro & Cicero properant, terſuſque Catullus;
Mox quoque cum Nemeſi, culte Tibulle, venis.
Et tu qui dubium feciſti nomen Homeri,
Cui vitam debent rus, pecus, arma ſuam.
Quid reges memorem priſcos, forteſque Quirites,
Quoſcunque exoriens Roma, vetuſque dedit?
Scilicet iſta Titum venerata eſt undique turba;
Hannibal aſpecto ſurgit & ipſe Tito.
Vos, ô vos Manes, æternos ducite luſus:
At nos perpetuo cura dolorque prement.
Has ego quotannis luctu celebrabo Calendas,

Et ficto injiciam thura, merumque rogo:
Deinde iſti verſus tumulo ponentur inani;
Dî faciant, illos poſtera turba legat:
Quiſquis ades, vacuum Naſonis cerne ſepulchrum;
Quiſquis ades, magni cerne ſepulchra Titi.
Orphei quod precibus Plutonia regna dedere,
Hoc Titus, & magnus Naſo dedere ſibi.

ELEGIA XII.

HELIS quod ſpeculo multumque diuque retenta
Sacratum Veneri ſic remoratur opus:
Fallor ego, aut juſta certe ratione movetur,
Nec levis eſt tantæ cauſa reperta moræ.
Namque nec ornatos componit rite capillos,
Cui non juſſa ſuo ſtat coma flava loco:
Nec Tyrio fucare genas credenda colore,
Cui medias intra purpura nata genas.
Aut igitur creta collum mentitur eburnum,
Aut labris ſpargit rubra venena ſuis?
At collum natura illi conceſſit eburnum,
Et minio juſſit labra rubere ſuo.
Cur vero tenues oculorum depilet arcus?
Cur jubeat patula cædere fronte comas?
Cui geminos talis teſtudo exornat ocellos,
Qualis Apellæa linea ducta manu;
Et cui lunatæ tam larga eſt area frontis,
Ut ſit tam patula fronte nec ipſa Venus.
Scilicet hæc emptis implerit dentibus ora,

Digitized by Google

Nativum eſſe probat cui gelaſinus ebur?
At vero inflatum pectus, mammaſque cadentes;
Et mollem magna colligit arte ſinum?
O Di, quam tuta eſt a tali crimine virgo;
Cui tumet æqualis ſemper utrinque ſinus!
Quid geſtus, cultumque loquar, moreſque decoros?
Talis erat, malum cum Cythærea tulit.
Ergo Helis ſpeculum non ſic remorata tuetur,
Helis enim ſpeculi non eget arte regi.
Ipſa ſed in facie dominæ cryſtalla morantur;
Et raras gaudent cernere delicias.
Helida cur ergo abſentem ſic, turba, requiris;
Nec pergis potius, dum procul Helis abeſt?
Quippe abſens Helis nullum retinebit euntem:
Si veniat, cunctos quod remoretur, erit.

ELEGIARUM FINIS.

Digitized by Google

EPITAPHIA.

D. P. STELLÆ, LL. DOCTORIS CELEBERRIMI.

MUNDUS ut aſſidua gauderet luce, ſuoque
   Vivere Sol poſſet liber ab officio:
Lucifer in terras cœlo migrare relicto,
   Atque hominis faciem ſumere juſſus erat.
At mox ut Stellæ diſceſſu clara Deorum
   Perpetua cœpit regia nocte premi:
Pœnituit mandaſſe Jovem, Stellamque vocavit;
   Et Solem antiquas juſſit obire vices.

D. IO. VALENTIS, REGIA CONSILIIS.

Extincto nuper Reſpublica mœſta Valente,
   Viſa mihi ſecum ſic gemebunda queri:
Sæpe alios flevi, dum ſic raperentur, alumnos,
   Cauſa tamen nunquam juſtior ulla fuit.

ADVOCATI CUJUSDAM.

O rerum varias vices, & ingens
Fortunæ paradigma ſævientis!
Clamoſiſſimus omnium virorum,

Digitized by Google

Qui verborum operam omnibus locabat,
Nunc raptus Rhadamantium ad tribunal,
Conducit miſer, ante quæ locabat.

GULIELMI BUDÆI, VIRI NOSTRÆ ætatis doctiſſimi, qui Lutetiæ obiit anno M. D. XL. XIII. Cal. Septemb.

Unus Budæus terramque, poloſque, homineſque;
Devinxit magna providus arte ſibi.
Cœlo animum, terræ corpus donavit habendum;
At cerebri nobis dona ſuperba dedit.
Sic deceſſit inops, nam nil ſibi liquerat ipſe:
Verum hæc paupertas unica vincit opes.

NICOLAI BEZÆ PATRUI, QUI REGI A CONSILIIS FUIT.

Marmore de Pario nullas hîc ſtare columnas,
Æra nec artificis vivere juſſa manu;
Nec tumuli cernes operoſam ſurgere molem,
Qualia Mauſoli fama ſepulchra canit.
Scilicet hos titulos, hos quærere debet honores,
Qui nil, quo melius nobilitetur, habet.
Hic autem magni quondam pars magna Senatûs,
Aut nullo, aut ſolo Beza Catone minor:
Quem ſic eripuit virtus ter maxima morti,
Vivat ut extincto poſthumus ipſe ſibi.
Mortuus e tumulo famam cur captet inanem,
Illi quam vivo vita peracta dedit?
Immo (ſi verum fas nobis dicere, ſed fas)
Dignus, qui tumulo non tegeretur, erat.

Digitized by Google

CATHARINÆ TEXEÆ
AURELIENSIS.

Iſto quis jaceat loco ſepultus
Forſan ſcire cupis, benigne lector:
Atqui id dicere perlibenter optem.
Sed quo nomine debet vocari
Quicquid hoc tumulo latet ſepultum,
Scire judico quemlibet ſagacem
Nullum, & quemlibet omnium peritum.
Nam ſi ex corpore judicare ſexum
Decet, Virgo latet ſepulchro in iſto.
At quanam ratione nuncupari
Debet fœmina, quam timore nemo
Turbatam nimio, aut dolore vidit?
Nemo proſperiore ſorte abuti?
Loqui nemo, ubi fœminæ tacendum?
Nemo, cum decuit loqui, tacere?
Choros nemo ſequi parum pudicos?
Nemo ornare comam parum pudenter?
Nemo accerſere pharmacis colores,
Hinc vibrare oculos & inde nemo?
Nemo verba loqui petulca vidit.
Ergo vir fuit. At virum vocare
Qua decet ratione, cui virilis
Illa corporis eſt negata forma?
Ergo utrumque fuit. Fuiſſe vero
Cur utrumque putem, quod eſſe neutrum
Probatum ſatis eſt, ſuperque nobis.
Diva ergo fuit, altera aut Minerva,

Qua

Quæ, cum fœmina ſit, tamen virili
Intus eſt animo, ut ferunt poëtæ.
Sed eſt nota ſatis cruenta Pallas,
Et inſana Deûm libido nota.
Ergo quid ſupereſt, niſi ut putemus
Quiddam hoc in tumulo latere, quod ſit
Fœminiſque, viriſque, Dîſque majus?

ANTONII PRATENSIS CANCELLARII GALLIÆ,

Omnium obeſorum obeſiſſimi.

Ampliſſimus vir hic jacet.

EOBANI HESSI POETÆ EGREGII.

Venerat exutus mortali corpore nuper
Heſſus, ut infernis exciperetur aquis:
Quem torve intuitus ſqualentis portitor Orci,
Hic ait, hic gratus Manibus hoſpes erit.
Tune Syracuſii calamos impune poëtæ,
Mæonidæque tubam, peſſime, ſurpueris?
Dixerat, & media vates jam puppe ſedebat,
Cum vetuit nautam pergere Mercurius.
Ne ſævito, Senex, inquit: nam vendicat iſtum
Jupiter, & Superûm cætera turba, ſibi.
Extinctis aliis potuit qui reddere vitam,
Ditis in hunc poſſunt jura ſevera nihil.

Digitized by Google

MACUTI POMPONII,
cum falſo nunciaretur in Alpibus occubuiſſe.

Vos nunc advoco, flebiles Phaleuci,
Vos voco, ô numeri ſeveriores:
Adeſte, obſecro, dum meum Macutum
Meas delicias, meamque vitam,
Morte lugeo peſſima peremptum.
Unde, Pierides, loqui auſpicabor?
Dicamne ut patria bene inſtituta
Natus ille meus Macutus, omnes
Vita vicerit integra & pudica?
Dicamne ut patria bene erudita
Natus ille meus Macutus, omnes
In hac vicerit eruditiores?
Traxit carminibus ſuis opacas
Silvas, & juga montium comata;
Undarum & domuit rapacitatem
Orpheus, ſed ſuperavit hunc Macutus,
Mutis non modo doctus imperare
Sed pacare hominum potens furorem,
Et lenes itidem incitare mentes;
Nec ſolum digitos movere doctus,
Sed lingua pariter loqui diſerta.
Pericles potuit tonare quondam;
Sed Græcus tonuit ſuis Athenis.
Lingua Tullius eloquens Latina,
Romanis tonuit ſuis Latinus.
Natus ſanguine Gallico Macutus,

Digitized by Google

Et Græce tonuiſſet & Latine,
Hoc si Roma foret Latina ſeclo,
Et nunc Græcia Græca perſonaret.
Apelli Cytheræa picta quondam,
Nec tota attamen, immo inabſoluta:
Mille autem Venereſque Gratiasque
Expreſſit lepidus meus Macutus,
Aut vicit potius; nec id colore,
Sed docta lepidaque ſcriptione.
Apelles manui, at meus Macutus
Debet ingenio perennitatem.
Ægyptum penetravit uſque in imam
Magnus Pythagoras, Platoque magnus;
Et venit, Scythico gelu relicto,
Athenas Anacharſis eloquentes.
Vidit Italiam meus Macutus:
Viſurus pariter mare atque terras,
Doctrinam ut faceret ſuam auctiorem,
Cœpti ſi bona fors boni fuiſſet,
Aut ſi quid reperiſſet, abſoluta
Vir quod diſceret eruditione.
Vos interrogo, quæ caput tenetis
Naſcentis Rhodani ſuperba ſaxa,
Cur ſævos homines fovetis illos,
Macutum mihi qui meum abſtulere?
Vos, Nymphæ, rogo, quotquot hinc vel inde
Lemani vitreas tenetis undas,
Cur pati potuiſtis hunc cruenta
Sceleſtaque manu virum interire,
Cui Nymphæ uſque adeo fuere cordi?

Digitized by Google

Dic mihi, Cytheræa: dic, Apollo:
Dic, Hermes: mihi dicite, ô Camœnæ,
Cur noſtrum, rogo, cur meum Macutum
Paſſi eſtis perimi? An minus remoto
Ut poſſetis eo frui, in Deorum
Adjuncto numerum & beatitatem?
Tali dignus eras, Olympe, cive:
Tali dignus eras domo, Macute.
Habetis, Superi, mei Macuti
Nunc divinam animam; at relicta terris
Moles corporea, illa quam Macuti
Divinum ingenium incolebat olim.
Vos curate animam, Dii, Deæque:
Nobis corporis eſt habenda cura.
Hoc dicamus ei ſepulchrum inane;
Hei! cur non licet apparare verum?
Audi nunc, ubicunque ſis, Macute:
Sive cum Jove nunc jocaris una,
Ut cœli novus incola & colonus;
Sive te potius novem Sorores,
Parnaſſuſque tenet bicornis, audi.
Te vivum mihi ſuſtulere fata,
Extinctum quoque ſuſtulere fata.
Quod unum licet, his tuo quotannis
Pares inferias dabo ſepulchro,
Ut meo Pyladi, meoque Achati.
Sic, qui finis erit mihi loquendi,
Deflendi mihi finis eſt futurus
Te, meum Pyladem, meumque Achatem.

Digitized by Google

SIMONIS GRINÆI,
viri longè eruditiſſimi, Bonarum Artium in Academia Baſileenſi Profeſſoris.

Ecquid ad extincti Grinæi funera, Nymphæ,
Tingitis imbre genas largo, Rhenumque per omnem
Turbatæ, magno repletis littora planctu?
Ecquid ad extincti Grinæi funera, Phœbe,
Sublatum eſſe genus, quem par tibi cura ſodalem
Fecerat, & ſimile adjunctum cognomen utrique?
Ecquid nunc jaculatur aquas nimboſus Orion,
Et madidam fundit lachrymoſus Aquarius urnam;
Cæteraque obſcuro radiantia ſidera cœlo,
Illuſtres tingunt nigra ferrugine vultus?
Ecquid ad extincti Grinæi funera, Vates,
Dejecti mœrore oculos, lachrymantia verba,
Et mœſto alternos trahitis de pectore verſus?
O rerum ſortes variæ, properataque doctis
Semper fata viris! I nunc, & cura latentes
Sit tibi, quiſquis eris, naturæ inquirere cauſas.
Scilicet hæc ſtultos mortales fallit inanis
Spes vitæ: doctis eadem indoctiſque minatur
Mors tamen, & magno finem impoſitura labori,
Deſidiæ & magnæ. Nunc, ſi ſapis, ergo, viator,
Vive tibi: namque ipſe tibi moriere, nec unum
Progrediere diem, lethi cum advenerit hora.
Non tamen uſque adeo pietatis neſcia corda
Sunt, Grinæe, mihi, quin doctos carmine Manes
Proſequar, & cura memet conſoler inani.

Ergo agite, ô Manes, ô mens ſuper æthera pridem
Vecta, pium, quæso, a nobis hoc accipe carmen.
At tu, ſumme Deûm, vaſti qui pondera cœli
Dirigis, & vaſtus cui ſeſe accommodat orbis,
Grinæum inſontem dilectis orbibus infer.

IN CERATINUM, PSEUDOMONACHUM.

Flete agedum, flete, ô fratres: extinctus abivit
Ille unus veſtræ relligionis honos.
Ridete, ô reliqui, risu digniſſima res eſt:
Hæc ſunt perpetuis funera digna jocis.
Quippe hujus quondam mendacibus omnia fucis
Perdere, ſola diu curaque mensque fuit.
At dum cuncta tegit, dum fraudibus omnia velat,
Mors ſimulatorem non simulata rapit.

IO. QUELINI, SODALIS CARISSIMI.

Ille, Calliope, Quelinus ille,
Et tuus ſimul, & meus Quelinus,
Ille, inquam, in media ſenex juventa
Aquis interiit miſer ſub illis,
Non quas fonte tuo hauſerat, nec illis
Quas ſecum fluvii trahunt ſonantes;
Sed quas, dum vigiles terit lucernas,
Collectas aluit ſceleſtus hydrops.
Sic tuus periit tibi Quelinus,
Sic meus periit mihi Quelinus.

Digitized by Google

Ergo hunc, Calliope, fleamus ambo,
Ut illum propriis aquis peremptum
Servemus lachrymis, aquiſque noſtris;
Ut vincantur aquis aquæ, & putetur
Ille, qui periit mihi, tibique,
Servatus ſtudio tuo, meoque.

JACOBI BELNENSIS,

ſummi trium Galliæ Regum Theſaurarii.
1527. Auguſti XII.

Hunc ſibi Belnenſis tumulum, quem cernis inanem,
Struxerat; invidit cui laqueus tumulum.
Debuerat certe, ſors ſi foret omnibus æqua,
Tardius hic fieri, vel prius ille mori.

RENATI GENTILIS,

Itali Tortonenſis, in ſuprema Galliarum Curia Præſidis illaudatiſſimi. 1538.

Fracto gutture ſtare quem revinctum,
Impellique vides & huc & illuc,
Quondam purpureo ſedens Senatu,
Primas Parhiſio in foro tenebat.
Verum (proh facinus, ſcelusque grande!)
Dum lucri ſtudio impotente captus,
Bonos non minus ac malos coercet,
Juſto numine ſic jubente Divûm,
Vivus qui male ſederat tot annos,
Stare nunc male mortuus jubetur.

C iv

Digitized by Google

GULIELMI LANGÆI,
Inſubriæ Proregis, belli & pacis artibus clariſſimi.

Langæus ille magnus hic jacet, Lector,
Unus Minervam colere doctus, & Martem;
Quo nemo melior pace vixit aut bello.
Vitæ genus habes: mortis en genus diſce.
Ætate conſumpta laboribus multis,
Suis ſuorumque omnium fere exhauſtis
Bonis in uſus Galliæ ſuæ, tandem,
Cum plus Milone & Curione deberet,
Interiit. Ergo pauper occidit, dices:
Immo locuples, cui patria debuit tantum.

STEPHANI DOLETI, AURELII.
1546.

Ardentem medio rogo Doletum
Cernens Aonidum chorus ſororum,
Carus ille diu chorus Doleto,
Totus ingemuit; nec ulla prorſus
E ſororibus eſt reperta cunctis,
Naias nulla, Driasve, Nereiſve,
Quæ non vel lachrymis ſuis, vel hauſta
Fontis Pegaſei ſtuderet unda,
Crudeles adeo domare flammas.
Et jam totus erat ſepultus ignis;
Jam largo madidus Doletus imbre
Exemptus poterat neci videri:

Digitized by Google

Cum cœlo intonuit ſeverus alto
Divorum pater ; & velut perægre
Hoc tantum ſtudium ferens ſororum,
At ceſſate, ait, & novum colonum
Ne diutius invidete cœlo :
Cœlum ſic meus Hercules petivit.

JOANNIS DAMPETRI;

Monialium apud Magdalenam Aureliæ Rectoris, Poetarum in ſcribendis Hendecaſyllabis facile Principis.

Clauſus cœnobio latebat olim
Ille Dampetrus, optimus virorum,
Princepſque Hendecaſyllabôn poëta.
Et clauſus pariter latebat idem
Mole corporea, haud quidem, fatemur,
Obeſa nimis aut tenebricoſa,
Verum corporea, & proinde tali,
Ut divinum animum velut quibuſdam
Nexum compedibus tenere poſſet.
At nunc cœnobiique, corporiſque
Vinclis Dampetrus exſolutus exit,
Doctorumque volat per ora liber :
Qui tamen moriens, ſuis amicis
Heu quot millia lachrymationum,
Heu quot attulit anxios dolores!
Ergo haud occidit ipſe, quod putaram,
Occidit potius ſuos amicos.

Digitized by Google

NOBILISS. PRINCIPIS, FRANCISCI BORBONII, *Ducis Anguiennenſis, poſt inſignem adverſus Marchionem Vaſti in Pedemontio victoriam, in ludis aulicis infeliciſſime caſi.*

Cum nuper gladios & fortem evaſeris hoſtem,
  Hîc, Franciſce jaces; nec tamen enſe jaces.
Sed nec in hoſtili potuiſti occumbere campo,
  Nec fortis forti victus ab hoſte cadis.
Sedibus at patriis, belli ſimulachra cientem,
  Miſſa infelici ſuſtulit arca manu;
Arca olim, ut credo, Stygia compacta cupreſſu,
  Arca, eheu! quanta nobilitata nece!
Arca, in qua Parcam Mavors abſconderat ipſe,
  Audiit ut factis æmula facta ſuis.
Sic igitur, miſerande, cadis; nec cernere longum
  Illa tua licuit parta trophæa manu.
At ſi nobiſcum vis, ô fortuna, jocari,
  Cur iſtis mors eſt ſeria mixta jocis.

FRANCISCI VALESII I, *Chriſtianiſſimi Francorum Regis, P. P. & Bonarum Litterarum aſſertoris, vindiciſque.*

Nobile, quiſquis ades, Regis venerere ſepulchrum,
    Regis ſepulchrum nobilis.
Nec pigeat mecum Francorum incommoda flere,
    Dum multa paucis explico.
Corporis ac animi florentem dotibus, atque

Digitized by Google

Re facile primum, ut nomine,
Franciſcum hunc Regem vidit Fortuna, ſimulque
Invidit, ut bonis ſolet.
Illum igitur ficto interdum demulſit amore,
Et inclytis victoriis:
Reppulit irata interdum, vultuque minaci
Tradidit in hoſtium manus.
Sed nec ſors illum melior ſic extulit unquam,
Ut eſſet immemor ſui;
Nec Fortuna animos illi ſic fregit acerba,
Quin victus illam vinceret.
Ergo ſuos cernens vanos Fortuna labores,
Et irritos omnes dolos,
Auxilium poſcit ſupplex a Morte: roganti
Mors paret illi protinus,
Et regis primum e natis truculenta peremit,
Cui tertium mox addidit:
Heu! juvenes ambos, ambos nil tale timentes,
Et non mori digniſſimos.
Tandem etiam, ô facinus! parta jam pace fruentem
Aggreſſa patrem ſuſtulit.
Sublatum ingemuere omnes, ſed præ omnibus, illæ,
Illæ Camœnæ nobiles,
Hebrææ, Græcæ, & Latiæ, quas ille fovebat,
Ut filias ſolet pater.
Quæ nunc, ut referant illi quæ præmia poſſunt,
Fovent viciſſim mortuum;
Et quantum in ſeſe eſt, a cæca mortis opacæ
Oblivione vindicant.

Digitized by Google

FRANCISCI VALESII,

Franciſci Regis filii, & Galliarum Delphini, propinato apud Avenionem veneno, proditoriè ſublati.

Hunc etiam juvenem extinctum, rogo, cerne, viator.
Hei mihi! cur vivum dicere fata vetant?
Hic eſt, quo niti regnum debebat avitum,
Spes patriæ nuper, ſpes quoque prima patris;
Pro quibus intrepidus fortem dum fertur in hoſtem,
Ipſe illum Mavors vidit, & obſtupuit;
Aggreſſuſque dolo, & crudelis fraude veneni,
Suſtulit. Heu! magnis fraus bene nota viris!
Macte tamen, Princeps: nam te mors ipſa fatetur
Non aliter vinci quam potuiſſe dolo.
Nempe erat hoc reliquum, Pellæi ut principis acta
Æquares, ſimili te quoque fraude mori.

CAROLI VALESII,

Franciſci Regis filii, & Aureliorum Ducis.

Gallia felici felix mihi patria nuper,
Idem etiam nuper rexque paterque fuit.
Ingenium (niſi me aſſentatrix turba fefellit)
Cœleſte, & ſummis æmula forma deis.
Jamque mihi externos Fortuna parabat honores,
Jam poteram magni Cæſaris eſſe gener:
Quando ferox blanda pro conjuge Parca reperta eſt,
Quæ mihi pro thalamo ſterneret hunc tumulum.
Nec tam erepta movent tamen hæc me commoda vitæ,

Digitized by Google

Quam doleo abruptum nobile pacis opus.
Sed quanquam haud potui pacem componere vivus,
Quis ſcit ab interitu ſurget an ipſa meo?

IN MORTEM FRANCISCI VALESII I, *Francorum Regis, & duorum ejus liberorum; Franciſci Caroliqué, alterius Galliarum Delphini, alterius Aureliorum Ducis.*

Aſpicis infelix tres Regum Gallia mortes:
Heu! vicina nimis funera funeribus!
Aſpicis efferri, quantaque potes pietate
Proſequeris facibus, proſequeris lachrymis.
Nec mirum: digni ſiquidem natique paterque,
Quorum elementa necem muta vel ipſa gemant.
Crudeles Superi, ut ſit mors matura parentis,
(Debuerat princeps ſi tamen iſte mori)
At cur tam ſubito ternis ex fratribus unum
Servaſtis, rapuit Mors violenta duos?
Nam potius, digna ut virtutis præmia ferrent,
Condendus triplex fratribus orbis erat.

Digitized by Google

ICONES.

Hercules Œteus.

Certavit mecum virtus, ſuperataque ceſſit:
Hac volui victa, victor & eſſe mei.

Dido rogum conſcenſura.

Funere Didonis ſapientes eſte puellæ:
Sunt nulla hoſpitii pondera, nulla tori.

Hector.

Hectoris incolumis manſiſti, patria, dextra;
Hectore quid mirum ſi pereunte, peris?

Pythagoras.

Laudent vitam alii ſuam loquendo:
Virtutem ipſe meam probo tacendo.

Xenophon.

Pallada dilexi, pariter me Pallas amavit:
Et Pallas *artes*, & dedit arma mihi.

Alexander Magnus.

Poſt Perſas fuſos, quæſitaſque orbis habenas,
Armis non potui cedere; cedo dolis.

Democritus.

Omnia Democritus ridebat: tu quoque, lector,
Democriti ride, ſi ſapias, tumulum.

Demoſthenes.

Magnum opus eſt hominum regere & componere mentes,
Sed tamen hic magnum præſtitit illud opus.

Digitized by Google

Spartana filium interfectura.

Ergo ubi ſunt comites? tun' es Lacedæmone natus?
At peperit matrem terra Lacæna tibi.

Sappho.

Auxit Muſarum numerum Sappho addita Muſis:
Felix, ſi ſævus ſic voluiſſet amor.

Lucretia.

Pollutum eſt corpus, manſit mens integra nobis:
Et non ex iſto corpore caſta fugis?

M. Brutus, Cæſaris interfector, ſeipſum interfecturus.

Divitiis uti licuit cum Cæſare partis:
Ferre necem poſſum, non potui dominum.

Cato Uticenſis.

Viciſti Magnum, Cæſar: ſed quidlibet aude,
Unus dicetur te ſuperaſſe Cato.

Camillus.

Romanam, fateor, conſtruxit Romulus urbem:
Capta ego reſtitui mœnia. Major uter?

P. Virgilius Maro.

Et tu, docte Maro, es ſublatus orbi:
Mori numina poſſe quis putaſſet?

Jupiter Phidiacus.

Ut tali ſeſe cognovit imagine pictum,
Tandem etiam geminus Jupiter, inquit, ero.

Digitized by Google

In eundem.

Quantum hic à vero diſtet Jove Jupiter audi :
Nempe hic eſt caſtus, priſcus adulter erat.

Venus.

Me Paris, & natus nuper, Pallaſque ſalutant :
Hæc Venerem, Matrem natus, at ille Deam.

In eandem.

Nunc demum cœpi Venus eſſe venuſtior : olim
Quæ fuerant ſociæ, contineo Charites.

In eandem

Falluntur, qui me cohiberi poſſe negarunt :
En baſis hæc Venerem ſiſtere parva poteſt.

Titi Livii.

Tumulum Tito nuper parabam Livio,
Cum ſic Apollo juſſit ut deſiſterem :
Hæc mortuos, inquit, decent ; vivit Titus.

Digitized by Google

EPIGRAMMATA.

AD LECTOREM.

SUNT qui Lectori longo faſtidia libro
  Longa ferant: fas ſit ſcribere pauca mihi.
Iſte tamen poterat, Lector, liber eſſe, libellus:
  Pendere ſed verſus, non numerare decet.

AD EUNDEM.

Non convitia, nec latrationes,
Nec ronchos timeo, calumniaſve,
Nec ullos obelos ſeveriores.
Non quod judicio meo Poëta
Sim tantus, nihil ut queat reprendi:
Sed quod judicio meo Poëta
Sim tam ridiculus, parumque doctus,
Ut nullum fore judicem eruditum,
Meos carpere qui velit labores.
Nam quis Æthiopem velit lavare?

Digitized by Google

DE GEMINIS SOLIBUS, *VISIS Lutetiæ Pariſiorum, Anno 1539. exeunte, Carolo Cæſare Kal. Jan. anni 1540. urbem ingreſſuro.*

Aſpiceres nuper geminos cum, Gallia, Soles,
Mirata es Soles, Gallia tota, duos.
At nunc mirari potius tua commoda diſce,
Quæ ſpondere tibi ſidera bina vides.
Sol eſt Franciſcus, ſol eſt quoque Carolus: iſtos
Nimirum Soles aſtra benigna notant.
Quod ſi concordes fœdus conjunxerit ictum,
Eclipſis fuerit nulla timenda tibi.

IN CLAUDIUM.

Non ceſſas veteres, Claudi, incuſare Poëtas
Claudo auſos Venerem jungere Mulcibero.
At Divos ego non ceſſo vocitare furentes,
Uxor quod claudo ſit data bella tibi.
Attamen hoc noſtrum cœpit lenire dolorem,
Quod tua nunc Martem cœpit habere Venus.

DE COMMENTARIIS D. MELCHIORIS VOLMARII, *præceptoris cariſſimi, in Homeri poëſim.*

Mæonidem ingrati privarant lumine Divi,
Nec vati quicquam proderat eſſe ſacro.

Digitized by Google

Hoc ſcelus advertens noſter. Volmarius, illi
Reſtituit, divi quos tulerant, oculos.
Parcite mî, Superi! vobis eſt major habendus,
Irrita qui Superûm reddere juſſa poteſt.

IN QUEMDAM ASINORUM ENCOMIASTEN.

Dum laudas asinos, toties cur, Pontice, peccas?
Nempe tibi ignotum γνῶθι σεαυτὸν erat.

IN AMOREM.

Eſſe hominum curam Superis ſi credere fas eſt,
Et quæ ſentimus commoda ferre Deos:
Cur, rogo, felici Divûm numeratur in albo
Fraudibus ille ſuis nobilitatus Amor?
Sane illum quiſquis ſupremo adſcripſit Olympo,
Hunc nimius, credo, cepit Amoris amor.

DE VENERE MARMOREA REGI DONATA A RENZO EQUITE.

Quæ tibi miſſa fuit nuper, Rex maxime regum,
Non eſt ficta Venus, vera ſed ipſa Venus.
Scilicet illa polum, Martemque, Jovemque reliquit,
Quod te his majorem crederet eſſe tribus.

Digitized by Google

AD CAROLUM QUINTUM.

cum Lutetiam ingressus esset.

Te præſente ſua eſt facies quod reddita cœlo,
Et ſenſit numen Jupiter ipſe tuum:
Miratur vulgus. Sed cui eſt tua cognita virtus,
Virtus, perſpectum, quid tua poſſit, habet.
Scilicet hoc æquum eſt, ut qui moderamine tanto
Jura dat in terris, jura det ipſe polo.

AD LODOICUM VALIDUM.

An eſt credibile, hunc meum libellum,
Hunc, inquam, illepidum meum libellum
Perlectum eſſe tibi, & moleſtiarum
A te tædia tanta devorata?
Eſto, legeris, & moleſtiarum
Semel tædia tanta devoraris:
Dic mihi, Lodoïce, amabo, tune
Ullum unquam inſipidum magis poëtam
Legiſti? An retices? nec id fateri
Vis? perſonam igitur tuam ipſe ſumam,
Et ſatisfaciam mihi roganti,
Et quanta potero intonabo voce:
Non vidi inſipidum magis poëtam.

Digitized by Google

DE AMICITIA CUM TRUCHIO INITA.

Heu, vos advoco, vos acres Sophiſtas,
Fallaces, queruloſque homunciones,
Qui noctes teritis, dieſque totos,
Quærendo inſidias locutionum.
Vos, inquam, advoco, vos acres Sophiſtas;
Qui poſſe hoc fieri ſimul negatis,
Ut quis victitet in locis duobus.
Tandem vera loqui, ô tenebriones,
Diſcite, & fieri videte poſſe,
Poſſe quod fieri ſimul negatis.
Cum ſim unus, tamen in locis duobus
Vitam vivo ſimul, velutque noſtra
In partes geminas ſecata mens eſt:
Apud me altera vivit, altera autem
Vivit in Truchio meo. Ergo nobis
Palmam ceditis, ô tenebriones?

IN SAPIDUM.

Dum ſeſe egregium Sapidus putat eſſe poëtam,
Deſipit, & Sapido nil magis inſipidum.

Digitized by Google

DE THEOCRENI,

Regiorum ſub Franciſco I. liberorum præceptoris,
Epigrammatum libello.

Arva Maro laudare docet ſpatioſa colonos,
Idem parva docet rura colenda Maro.
Qui volet, hic terram centenis vertat aratris:
Plus juvat hic parvus, ſed bene cultus ager.

IN PHILÆNUM.

Nil non egregie facit Philænus,
Terſus, integer, elegans Philænus.
Teſtem ſi petis, en tibi, Philæno
Teſte, hæc omnia perficit Philænus.

AD BIBLIOTHECAM.

Salvete, incolumes mei libelli,
Meæ deliciæ, meæ ſalutes.
Salve, mi Cicero: Catulle, ſalve.
Salve, mi Maro, Pliniûmque uterque;
Mi Cato, Columella, Varro, Livi.
Salve, mi quoque Plaute, tu Terenti;
Et tu ſalve, Ovidi, Fabi, Properti.
Vos ſalvete etiam, diſertiores
Græci, ponere quos loco priore
Decebat, Sophocles, Iſocrateſque.
Et tu, cui popularis aura nomen
Dedit, tu quoque, magne Homere, ſalve.

Digitized by Google

Salve, Ariſtoteles, Plato, Timæe;
Et vos ô reliqui, quibus negatum eſt
Includi numeris Phaleuciorum.
Cunćti denique vos, mei libelli,
Salvetote, iterumque, tertiumque,
Atque audite meam precationem.
Hoc ergo precor, ô mei libelli,
Ut ne longa mihi mora illa (ſenis
Nam a vobis procul abſui diebus)
Obſit, quominus undiquaque tali
Sitis in me animo & favore deinceps,
Quali, dum proficiſcerer, fuiſtis,
Nimirum facilique candidoque.
Quod ſi iſtam mihi ſupplicationem
Vos conceſſeritis, mei libelli,
Id vobis quoque pollicebor ipſe,
Non me unam hebdomadam procul, quid? immo
Non diem procul unicum abſuturum.
Quid diem? immo nec horulam, immo nullum
Punćtum temporis, ut libet pusillum.

AD SODALES,

de Melchioris Volmarii, præceptoris cariſſimi adventu in Galliam.

Audite, ô lepidi mei Sodales,
Ter ſuavem atque hilarem locutionem.
Ille Volmarius, mei ô Sodales,
Integerrimus omnium virorum,
Ille Volmarius modo eſt reverſus.

Digitized by Google

Hunc ergo, ô lepidi mei Sodales;
Diem cantibus, oro, tranſigamus.
Procul mœſtitiæ, moleſtiæque,
Procul triſtitia, atque ſolitudo,
Procul ſint gemitus, procul dolores.
At tu, lætitia, adveni; tuumque
Adducas comitem, optimum Deorum
Lyæum, & Cererem optimam Dearum.
Io, mi bone Bacche, mi Lyæe,
O Ceres mea; ne mihi negetis,
Quæſo, iſtam exiguam petitionem:
Advolate, rogo, Deis relictis.
Hîc nulli tetrici deambulones,
Hîc rixoſus erit Sophiſta nullus;
Sed convivæ aliquot boni poëtæ,
Nempe Rillerius, Jobertiuſque,
Tertius quoque Claudius futurus;
Locum poſt alios tenebo quartum.
At tu, Melchior, in loco ſupremo
Sedens, Mercuriique Apolliniſque,
Et vices Charitum ſupplebis unus.
Quod ſi forte tua eruditione
Audita, (quis enim tuam negarit
In cœlum quoque tranſiiſſe famam?)
Facundus veniat nepos Atlantis,
Aut Phœbus, Charitesve: tunc manebis
Suprema nihilominus cathedra,
Et tacentibus omnibus loqueris.
Nam quis (ni penitus caret cerebro)
Phœbo, Mercurioque, Gratiiſque,
Neget Volmarium eruditiorem?

Digitized by Google

IN L. JUNII COLUMELLÆ LIBROS DE RE RUSTICA.

Orphea mirata eſt Rhodope ſua fata canentem,
Si modo Virgilii carmina pondus habent.
Tu vero, Juni, ſylveſtria rura canendo,
Poſt te urbes ipſas in tua rura trahis.
O Dî, quos olim nutrivit Roma, Quirites,
Quæ tam facundum viderit agricolam!

DE ALDO MANUTIO, ROM.
omnium quidem auctorum, præcipue vero poëtarum, excellentiſſimo Typographo.

Didonis cecinit rogum diſertus
Maro: Pompeii rogum Lucanus;
Et diſerte adeo hoc uterque fecit,
Ut nunc vivere judicetur illa,
Nec jam mortuus hic putetur eſſe;
Immo ſint redivivi, & hic, & illa.
Ergo credere fas erit poëtas
Divos, ut pote qui loquendo poſſint
Vitam reddere mortuis: quod ipſis
Eſt divis proprium & peculiare.
Quod ſi credere fas Deos poëtas,
Vitam reddere quod queant ſublatam:
Quanto eſt juſtius æquiuſque, quæſo,
Aldum Manutium Deum vocare,
Ipſis qui potuit ſuo labore
Vitam reddere mortuis poëtis?

D

Digitized by Google

DE CANDIDA.

Defeſſus medio toro jacebam,
Et ſomno grave jam caput cadebat,
Sui Candida cum miſerta Bezæ,
Præſens eſt mihi viſa dormienti
Jocos deliciaſque factitare;
Et tractare manu, & notare ocellis,
Et blœſa velut increpare voce.
Contra ſic ego ſomnians loquebar:
Ni ſis me mihi charior, puella,
Diſſolvi cupio, & perire totus.
Vix hæc edideram, repente noſtrum
Cum lux invida ſomnium diremit,
Et meam mihi ſuſtulit puellam.
At tu, quiſquis es, ô tenebricoſæ
Præſes optime cogitationis,
Seu te Morphea, ſeu vocare Somnum
Fas eſt, fac vigil ut queam videre,
Quod ſomno potui videre captus.
Aut, ſi non aliter potes mederi
Huic deſiderio meo, perennem
Inducas mihi ſomniationem!

IN SEXTUM.

Cæcus es, & cunctos reprendis, Sexte, poëtas;
Sanum reprenſor debet habere caput.

Digitized by Google

IN THAIDA CÆCAM ET PONTICUM CLAUDUM.

Thaïda cras duces cæcam, pede claudus utroque:
Convenis uxori, convenit illa tibi.
Integrum e duplici ſurget ſic corpore corpus,
Si præſtes oculos, præſtet at illa pedes.
Ergo rem faciunt te dignam, Pontice, divi,
Semiviro qui dent *ἡμιγυναῖκα* (1) tibi.

IN LUPUM.

Jejunus ſobrium mihi Platonem
Laudabas, Sophiamque prædicabas:
Mox vero ut tibi cœna ſumpta mecum,
Mutaſti faciem atque opinionem.
Qui factum hoc, Lupe, tam cito ut juberes
A cœna Sophiam valere? nempe
Cœnatus, Lupe, non eras apud te.

DE FRANCISCO RABELÆSO.

Qui ſic nugatur, tractantem ut ſeria vincat,
Seria cum faciet, dic, rogo, quantus erit?

DE HELIONORA FRANCORUM REGINA.

Nil Helena vidit Phœbus formoſius una?
Te, Regina, nihil pulchrius orbis habet.
Utraque formoſa eſt, ſed re tamen altera major;
Illa ſerit lites, Helionora fugat.

(1) *Dimidiam mulierem.*

IN ASINIUM.

Seu domi mihi, ſeu foris repertus,
Promiſſi & fidei datæ admoneris:
Tu contra velut admodum occupatus,
Has facis nihili petitiones.
Sed horam tamen inquis adfuturam,
Qua me ex paupere divitem & beatum
Reddas. En igitur tibi ipſe dono
Horas quod tibi nunciabit omnes.
Tandem nunc, Aſini, potes jubere,
Hæc ut hora ſonet diu expetita.

DE FRANCISCI ET CAROLI INDUCIIS.

Roma olim ceſſit ſoceri generique furori,
Et cecidit gladiis inclyta Roma ſuis.
Quod ſi illi placidas junxiſſent fœdere dextras,
Robore ſtaret adhuc Martia Roma ſuo.
Sic fratrum immitis nuper diſcordia pene
Funditus Europæ verterat imperium:
At quoniam jungunt concordia pectora fratres,
Servatum Europæ dicitur imperium.

DE MORBO FRANCISCI GALLORUM REGIS, SALUTEQUE MOX ILLI REDDITA.

Ægroto Pallas Franciſco ægrota jacebat,
Optabat Mavors æger & ipſe mori.

Digitized by Google

Illa, quod hoc tutam ſolo ſe credat alumno:
  Hic, quod ſit ſtudio natus uterque pari.
Quod ſi Franciſcum mors eripuiſſet, eodem
  Funere Mars functus, functa Minerva foret.
Hoc Atropos mirata nefas, feritate repoſta,
  Tres una vetuit morte perire Deos.

AD CL. MAROTUM.

Tam docte Venerem divinus pinxit Apelles,
  Illi ut credatur viſa fuiſſe Venus.
At tantam ſapiunt Venerem tua ſcripta, Marote,
  Ut tibi credatur cognita tota Venus.

AD CANDIDAM, DE IPSIUS FACIE IN TABELLA EXPRESSA.

Quanto pulchrius elegantiuſque
Picta hæc eſt tabula omnibus tabellis:
Tanto pulchrior elegantiorque
Hac ipſa mihi crederis tabella.

XENIUM TRUCHIO ET DAMPETRO.

Sinceris mos eſt nunquam neglectus amicis,
  Anni ſub primos mittere dona dies.
Nempe quod ut veteris renovatur circulus anni,
  Fas ſit ut antiquus ſic renovetur amor.
Ergo cum Bezam Truchius fateatur amicum,
  Nec me Dampetrus deneget eſſe ſuum:
Non temere, priſcos homines imitatus, utrique

Digitized by Google

Parva quidem mitto dona, ſed apta tamen.
Ambo eſtis Vates: ambobus carmina dono,
Carmina quæ noſtri pignus amoris erunt.
Vos pridem ſincerus amor conjunxit in unum:
Unum igitur decuit munus habere duos.

DESCRIPTIO VIRTUTIS.

Quænam tam lacero veſtita incedis amictu?
Virtus antiquis nobilitata Sophis.
Cur veſtis tam vilis? Opes contemno caducas.
Cur gemina eſt facies? Tempus utrumque noto.
Quid docet hoc frenum? Mentis cohibere furores.
Raſtros cur geſtas? Res mihi grata labor.
Cur volucris? Doceo tandem ſuper aſtra volare.
Cur tibi mors premitur? Neſcio ſola mori.

IN FORI MANCIPIA.

Cum ſit hoc proprium fere poëtis,
Rebus omnibus ut peculiarem
Divum conſtituant, ſuumque numen:
Cur lucrum, forum, & elocutionem,
Uni Mercurio tamen ſacrarunt?
Priſci ſcilicet hoc modo indicarunt
Futurum, ut rabioſa quiſquis arma
Tractaret fori, haberet ille curam
Lucri, non minus ac locutionis.

AD MARIANUM.

Auguſtas, Mariane, deûm venturus ad aras,
  Nulla cremas magno thura Sabæa Jovi.
Nec capis externos cultum qui ſpargat odores,
  Nec diti tractas aſpera ſigna manu.
Gemmatæ nunquam ſudas ſub pondere veſtis,
  Nec digitos onerat res peregrina tuos.
Sed placidam & nullo pollutam crimine mentem,
  Atque ſua notas a pietate manus;
Cæteraque integros domini teſtantia mores,
  Hæc, inquam, magnis des, Mariane, Deis.
Quod ſi rara ſolent merito pretioſa videri,
  Nemo dedit, nemo plus, Mariane, dabit.

IN ERASMI IMAGINEM.

Illum, quo totus nunc perſonat orbis, Eraſmum
  Hæc tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum? mirari deſine, lector:
  Integra nam totum terra nec ipſa capit.

AD MUSAS, TINEÆ SACRIFICIUM LUDICRUM.

Si rogat Cereremque, Liberumque,
Vitæ ſollicitus ſuæ colonus:
Si Mavortis opem petit cruentus
Miles, ſollicitus ſuæ ſalutis:
Quidni, Calliope, tibi, tuiſque

Digitized by Google

Jure ſacra feram, quibus placere
Eſt unum ſtudium mihi, omnibuſque
Qui vatum e numero volunt haberi?
Vobis ergo ferenda ſacra, Muſæ.
Sed quæ victima grata? quæ Camœnis
Dicata hoſtia? Parcite, ô Camœnæ:
Nova hæc victima, ſed tamen ſuavis
Futura arbitror, admodumque grata.
Accede, ô tinea, illa quæ puſillo
Ventrem corpore tam geris voracem.
Tene Pieridum aggredi miniſtros?
Tene arrodere tam ſacros labores?
Nec factum mihi denega: ecce furti
Tui exempla, tuæ & voracitatis.
Tu fere mihi paſſerem Catulli,
Tu fere mihi Lesbiam abſtuliſti.
Nunc certe meus ille Martialis
Ima ad viſcera roſus uſque languet,
Et quærit medicum ſuum Triphonem.
Immo & ipſe Maro, cui pepercit
Olim flamma, tuum tamen terebrum
Nuper, ô fera ter ſceleſta, ſenſit.
Quid dicam innumeros bene eruditos,
Quorum tu monimenta, tu labores
Iſto peſſima ventre devoraſti!
Prodi, jam tunicam relinque; prodi.
Vah, ut callida ſtringit ipſa ſeſe!
Ut mortem ſimulat ſceleſta! prodi,
Pro tot criminibus datura pœnas.
Age, iſtum jugulo tuo mucronem

Digitized by Google

Cruenta excipe, & iſtum, & iſtum, & iſtum.
Vide ut palpitet, ut cruore largo
Aras polluerit prophana ſacras.
At vos, Pierides, bonæque Muſæ,
Nunc gaudete: jacet fera interempta,
Jacet ſacrilega illa, quæ ſolebat
Sacros Pieridum vorare ſervos.
Hanc vobis tunicam, has dico, Camœnæ;
Vobis exuvias, ut hinc trophæum
Parnaſſo in medió locetis, & ſit
Hæc inſcriptio: *De fera interempta*
Bezaus ſpolia hæc opima Muſis.

IN PHILÆNUM.

Aurelias vocare veſpas ſuevimus,
Ut dicere olim mos erat naſum Atticum:
At te, Philæne, Aurelium vocabimus
Fucum, quod omnes adeo pungas frigide,
Aculeum ut interim relinquas nemini.

AD TRIPUTIUM, AURELIUM JURISC.

Doctum illum & lepidum tuum libellum,
Quo myſteria juris explicaſti,
Fertur Mercurius tuliſſe nuper
Ima ad Tartara, protinuſque doctis
Illis Manibus, ut Papiniano,
Paulo, Scevolæ, & Ulpiano, & illi
Juris quem merito vocant lucernam,

Legendum exhibuiſſe ; deinde lecto
Sic cœpiſſe loqui tuo libello :
Ecquid ceditis ? At Papinianus,
Cuncti cedimus, inquit, haud gravate.

IN PHILOPATRUM.

Damnabis (fateor) noſtros, Philopatre, libellos,
Et tibi non lectum deſpicietur opus.
Quid tum ? ſi noſtros carpas, Philopatre, libellos,
Debebunt tanto noſtra placere magis.

IN EUMDEM.

Sive Palatina Philopatrus inambulet hora,
Et fatuo inceſſu marmor utrumque terat :
Sive fames illum locupletum quærere menſas,
Et procul e vacua juſſitet ire domo :
Seu jejunus eat, ſeu pleno ventre vacillet,
Seu lateat ſolus, ſeu comitatus eat :
Semper habet quiddam, turpi quod garriat ore ;
Quod merito poſſit carpere, ſemper habet.
Semper hiat, ſemper colloque humeriſque laborat ;
Et ſimulat magnum voce manuque ſophos.
Sed cum te audierint multi bene multa loquentem ;
Nemo bene audivit te, Philopatre, loqui.

XENIUM CANDIDÆ.

Veſtes divitiis graves & arte,
Aptandumve tuo monile collo,
Aut quos India mittit uniones ;

Digitized by Google

Jani nec queo, nec volo Calendis
Ad te mittere, Candida, una Bezæ
Dilectiſſima Candida. At quid ergo?
Ipſam nempe animam tibi dicatam,
Amoriſque tui ignibus peruſtam:
Quæ, pridem tua ſit licet, ſuamque
Te pridem dominam vocetque ametque,
Se rurſus tibi datque dedicatque,
Incluſa his numeris Phaleuciorum.
Quod ſi munera raritate cenſes,
O Dî! quam tibi grande mitto munus!

DE TRUCHIO ET VALIDO.

Vos ego, divini Manes appello Platonis,
Integer eſt cujus munere notus Amor.
Dicite, non, curnam in ſeſe moriantur amantes,
Curve anima vivant alter in alterius:
Aut quales merito nobis dicamus amicos,
Aut ſolidi verum quod ſit amoris opus.
Hæc ego non quæro, nec quæ retuliſſe Platonis
Sobrius ad ſobrii prandia fertur amor:
Sit ſatis hæc dixiſſe ſemel. Nunc dicite, Manes,
Quædam animo nondum ſat bene nota meo.
Mens ſimplex atque una mihi eſt: hanc attamen unam
Pridem amor in partes juſſit abire duas;
Atque ait, hanc animam diviſam trado duobus,
Dimidiam Truchio, dimidiam Valido.
Salva tamen mens eſt: vivo, ſcriboque, loquorque,
Et tamen hæc Validi eſt, & tamen hæc Truchii eſt.

Digitized by Google

Quodque magis mirum, cum ſit diviſa duobus,
Utrumque integram diligo amoque animam.

IN HUBERTUM SUSSANNÆUM,

PERDITISSIMUM NEBULONEM.

Norunt Hubertum ganeones prodigi;
Norunt magiſtri cocta quos crambe necat.
In urbe tota nullus hiſtrio latet,
Nec moechus ullus, læno ſcurrave impudens,
Nec Chiromantis ullus, aut cadaverum
Moleſtus excitator, aut vates malus,
Cui non Hubertus iſte ſit notus bene.
Sed ſcire vis ignotus hic cui ſit? ſibi.

IN OLLUM.

Quamvis illa mihi forenſis eſſet
Pridem perfidia uſque & uſque nota;
Nec donis ego, nec pecuniarum
Peperci cumulo, ut mihi innocenti
Præſto judicis ad Tribunal eſſes.
At tu muneribus meis receptis,
Me, nec id ſemel, Olle, prodidiſti.
Sane es integer & bonus patronus,
Spem qui fallere non velis clientis.

DE JOANNE SECUNDO HAGIENSI,

POETA EXIMIO.

Excelſum ſeu condit opus, magnique Maronis
Luminibus officere ſtudet:

Digitized by Google

Sive leves elegos, alternaque carmina, raptus
Naſonis impetu canit:
Sive lyram variis ſic aptat cantibus, ut ſe
Victum erubeſcat Pindarus:
Sive jocos blandoſque ſales epigrammate miſcet,
Clara invidente Bilbili:
Unus quatuor hæc ſic præſtitit ille SECUNDUS,
Secundus ut ſit nemini.

AD FABULLUM.

Si cœnare voles, Fabulle, mecum,
(Sed cœnare voles, Fabulle, mecum)
Audi quæ tibi cœna ſit parata.
Perdices gemini duas edemus:
Turtur mox aderit, nec ille ſolus,
Sed quem caſta etiam ſequetur uxor.
Hæc nos frigidulo mero, Fabulle,
Et fame hæc quoque condiemus ipſa.
Sed ſcis qualia vina comparavi?
Quæ ſi non vocites Opímiana,
At certe Optimiana jure dicas.

IN PHILÆNUM.

Eraſmus ille, quo fatentur plurimi
Nihil fuiſſe vel futurum doctius,
Tibi, Philæne, ſtupidus eſt & plumbeus:
Et quicquid uſpiam ab omnibus fingi poteſt
Calumniarum, ſtulte in illum congeris.
Latra, Philæne, quandiu & quantum voles:
Hunc ſcire conſtat plura, quam tu neſcias.

Digitized by Google

GENETHLIACON FRANCISCI VALESII, *Henrici Valeſii Galliarum olim Delphini filii, Decem demum annis nati poſt conjugium cum Catharina Medicea initum.*

Fertur in Alcmenes venturus Jupiter olim
  Brachia ter noctis continuaſſe vices.
Nempe quod in magni divinos Herculis ortus
  Nox, hyberna licet, non foret una ſatis.
Sic, princeps Henrice, tuo cum e ſemine vellent
  Alcidem Gallis gignere fata ſuum,
Unius in prolis conceptum currere meſſes
  Juſſerunt, magna cum ratione, decem.
Scilicet haud aliter prorſus quam pluribus annis
  Formari tantus debuit iſte puer.
Et (ſi fas homini res eſt aperire futuras,
  Nec dici Vatum numen inane decet)
Quo deni plures ternis ſunt noctibus anni,
  Hoc tuus hic infans Hercule major erit.

GENETHLIACON ISABELLÆ *à Francia, Henrici Valeſii, Galliarum olim Delphini, & illuſtriſſimæ Principis, Catharinæ Medices, filiæ.*

Ecce novos peperit Gallis Catharina triumphos,
  Jam prole dives altera;
Natorumque loco felicem creſcere turbam
  Avus nepotum conſpicit.

Digitized by Google

En vixdum nata in cunis Iſabella videtur
Vagire quiddam regium;
Moxque jocos blandæ tenero cum fratre ſororis
Spectabit Henricus pater.
At Gallus primis jam nunc miratur in annis
Suos futuros principes;
Et quamvis teneræ, magnum jam frontis honorem
Notaſque regias colit:
Donec paulatim, illorum creſcentibus annis,
Spes patriæ adoleſcat ſimul,
Franciſco ut domitos forti, victoſque pudico
Iſabellæ amore blandulæ,
Gallica conſpiciat venerari lilia pronos
Orbis ſuperbos principes.
Illi etenim nullus poterit par viribus eſſe:
Odiſſe nullus hanc volet.

DE FELICI INAUGURATIONE *Henrici II. Chriſtianiſſimi Francorum Regis.*

Franciſco poſtquam ſublato Gallia ſenſit
Cujus lene foret mox ſubitura jugum,
Finiit, ut potuit, gemitus, animiſque receptis,
Iſtæc faſſa fuit damna lucroſa ſibi.
Ergo age, quamprimum fac hujus, Sequana, Regis
Ad gelidas Arctos nuncia fama volet.
Hæc, Liger, Heſperiis; Rheni, Moſa, dicito ripæ;
Hæc, Rhodane, ambuſtos perfer ad Æthiopas:
Gallorum Henricum felicia ſceptra tenere,
Ingentem ingenti de genitore ſatum;

Digitized by Google

Nec regem eſſe tamen, dubium quia fecerit ipſe,
Rex Gallis dici debeat, anne pater.

D. QUELINO SENATORI PARISIENSI,
cum uxorem ducturus ægrotare cœpiſſet.

Seu Dea, ſeu Deus eſt, qui te tam læta parantem
Conjugia, e triſti vix ſinit ire toro:
Illa Dea, iſte Dei privari numine dignus,
Dignus qui Superûm cedat ab arce procul.
Nam tua vel virtus, vel caſtæ vota puellæ,
Materies juſti plena favoris erat.
Perge, Queline, tamen, nec tam bene cœpta morere:
Finem etiam morbis Dî ſtatuere ſuum.
Perge, puella, ſimul: namque, ægrotante Quelino,
Vix alius toto ſanior orbe vir eſt.

AD PONTICUM.

Noſtras, Pontice, ſomniationes
Narro cum tibi, tunc moves cachinnos,
Et hæc plena putas ineptiarum.
Atqui, Pontice, ſomniare nuper
Sic mî contigit, ut mihi viderer
Omnes divitias, opes, talenta,
Pactolique, Tagique, poſſidere.
Eſſe hæc ſomnia vera tun' negabis?

Digitized by Google

De Victoria parta adverſus Marchionem Vaſti, Anno 1544. apud Pedemontem.

Francorum victas acies Inſubria vidit:
Vidit, ſed Franci robore freta ducis.
Namque velut quondam Romam oppreſſere Quirites,
Sic eſt pene ſua Francia verſa manu.
At nunc eversas Aquilas Inſubria cernit,
Et colubris rurſus lilia juncta ſuis.
Ergo ſeu vincat, ſeu cedat Francus, utrinque,
Virtutis laudem quod mereatur, habet.

AD GERMANUM VALENTEM.

Ergo Germani vultus violabit amoenos
Barba, licet lenis flavaque, dura tamen?
Dura equidem, nobis quæ tam cito præripit illas,
Illas quas Phœbus vellet habere genas;
Et mediam nobis faciem quæ ſurripit illam,
Quam lepos incoluit, cumque lepore jocus.
Iſtos barba decet, quibus eſt ſic acta juventus,
Ut canæ tuti ſint ſub honore comæ.
At quid non didicit primis Germanus ab annis,
Quem vicena videt bruma peracta ſenem?
Cede igitur, lanugo, procul: niſi ceſſeris, ecce,
Quod queat invitam cogere, tonſor habet.

Digitized by Google

DE PACE INTER FRANCISCUM I. *Galliarum Regem & Carolum V. Cæſarem inita.*

Vidimus, heu, fratres in mutua bella paratos:
 Vidimus accenſas Martis ubique faces.
Nunc tamen, ô Superi, placidis allabitur alis
 Aurea perpetuos pax habitura dies.
Quis porro tanti tibi, Gallia, muneris auctor?
 Gallia, quo tandem vindice facta tua es?
Scilicet hic Superûm favor eſt, hæc munera Divûm:
 Non ſunt hæc cœli munera tota tamen.
Quippe etiam partem doni ſibi vendicat hujus,
 Et Rex, & Regis natus uterque tui.
Roma igitur patriæ Patres numeraverit olim:
 Nos patriæ Patres, & numeremus avum.

IN PAULINUM.

Paulino quoties condixi, Teſtile, cœnam,
 Nunquam, cum taceat cætera turba, tacet;
Nec niſi depoſitis dapibuſque meroque quieſcit.
 Ergo ſatur, dices, non abit: immo venit.

IN CÆCILIUM.

Quandocumque ſibi parare amicos
Optat Cæcilius fideliores,
Hos ſolo probat æſtimatque cenſu;
Nec quenquam colit ut ſuum libenter,
Virtus unica quem facit beatum:

Digitized by Google

Sed cujus titulos ſuperbiores
Triplex linea vix notare poſſit,
Hunc ſuum vocat, hunc colit libenter.
Sic ſervitur; avare, non amatur.

IN POSTHUMUM.

Sæpe quidem verbo ſolvis, re, Poſthume, nunquam.
Quod toties ſolvis, jam, rogo, ſolve ſemel.

IN BERGEDUM.

Audes, ô facinus! cenſoris ſumere normam,
Et ſemper mœſti verba ſonare ſenis.
Audes, *ô mores*, *ô tempora!* dicere, cum ſis
Socraticos inter gloria prima canes.
Sic tamen, ô demens, ſic, inquam, Bergede, ploras,
Quale rudit vector, pande Silene, tuus;
Quale gemunt calami craſſo tractante bubulco,
Quale gemit viridi fulta quadriga rota.
Denique ſic ploras, ut qui tua carmina ridens
Non legat, inventus ſit, puto, nullus adhuc.

AD JANUM.

Aureolos Paulo vicenos, Jane, dediſti:
Credita nam qui non reppetit, ille dedit.
Sed quamvis dederis, quamvis nil inde repoſcas,
Aureolos reddet bis tibi, Jane, decem.
At quando? dices: Græcorum nempe Calendis.
Cum dederis nummos, credere verba potes.

Digitized by Google

IN DÆDALUM.

Seu te ſeria, ſeu joci morantur,
Seu lites medio foro tueris,
Seu vicos teris otioſus urbis,
Seu potes, reciteſve, rideaſve:
Cuncta accepta tuo refers parenti.
Quid ſi, Dædale, poſthumus fuiſſes?

DE FRANCISCO VALESIO

Galliarum rege, è Picardia, ſoluta Landriſſi obſidione, reverſo.

Quod, Franciſce, tibi jamdudum ſpondet Olympus,
Id ſors obtulerat nuper amica tibi.
Scilicet ut poſſet victorem agnoſcere Francum
Excuſſo alterius terra beata jugo.
Tu tamen hæc (quamvis & magna & certa) tuorum
Non es dilecto ſanguine paſſus emi.
Ergo quod illæſos, ô Rex, ſervaveris hoſtes,
Nemo metum credat, ſed pietatis opus.
Pugnabas etenim nolens pugnare, tuique,
Tunc cum hoſtem nolles vincere, victor eras.

IN ZOILUM.

Brevem, Zoile, dicis hunc libellum:
O ſi poſſit idem omnibus videri!

Digitized by Google

AD AMICOS.

Hunc, quanquam illepidum & malum libellum,
Vos ô perlepidi mei Sodales,
Quæſo, ſumite blandiore vultu;
Deinde perlegite uſque ad umbilicum.
Nam vos id rogat ille Beza veſter,
Cujus vos animamque, corculumque,
Idque me hercule jure, poſſidetis.
Sed ſic perlegite, ô boni Sodales,
Ut nec falſa aliqua eruditionis)
Noſtræ opinio, nec mei tuendi
Cura nominis ulla vos moretur.
Figatis potius vel hinc, vel illinc,
Stelluliſque, obeliſque, virguliſque;
Cultu ſplendidus ut decentiore
Teſtetur titulo tenus parentem.
Id vero mala turba Zoilorum
Damnabit, fateor, nihilque dicet
Hic, præter titulum, meum videri:
Sed clamet licet uſque, & uſque, & uſque,
Sit totus volo veſter hic libellus,
Cum veſter quoque ſit Poëta totus.

IN PHILENEM.

Parvus ille deus minutuluſque,
Cui vates tribuunt & arcum & alas;
Nuper Gallica permeabat arva;
Illam cum ſubito aſpicit Philenem;

Digitized by Google

Illam tam tetricam & malam Philenem,
Quæ noſtras toties precationes
Contempſit rigido ſuperba vultu;
Quæ Cupidinis, & faces, & arcum,
Sprevit hactenus, & ſibi negoti
Cum Cupidine nil fore aſſerebat,
Atque perfidiæ ſuæ invocabat
Teſtem Caſtora, fratre cum gemello.
Sed poſtquam ille deus, Cupido parvus,
E gravi pharetra unicam ſagittam
Deprompſit, ſubito ſuam Philene
Mutavit tetricam ſeveritatem.
O potens amor, ô levis Philene!

IN POARDUM.

Illam Dorida, bellum illud ac amabile
Scortillum, & totius lupanaris decus:
Illam Dorida Poardus ille deperit,
Senex, vietus, edentulus, calvus, putris.
Hinc urbis omnes viſit angulos miſer,
Uno Poardus nec poteſt ſtare in loco.
Rem ſcilicet curat Poardus publicam.

AD CANDIDAM.

Es quoties vicina mihi, tunc æſtuo totus,
Ut cum ſulphureis ignibus Ætna fremit.
A te diſceſſi quoties, tunc frigeo totus,
Ut cum Caucaſeus ſub nive anhelat apex.
Ergo fas alium te, Candida, dicere ſolem,
Utpote quæ facias æſtum, hyememque mihi.

Digitized by Google

DE EADEM.

Nuper Candidulam meam ſalutans,
Salve, inquam, mea mens, mei & lepores,
Corculumque meum. Illa tunc, diſertam
Cum ſeſe cuperet mihi probare,
Salve, inquit, mea mentula. O diſertam
Et docto bene feminam cerebro!
Nam ſi dicere corculum ſolemus,
Cur non dicere mentulam licebit?

DE EADEM.

Dicite cur arcum, vates, tribuiſtis Amori;
Exiguus non eſt aptus ad arma puer.
Nempe ſupercilii nobis ſic forma notata eſt,
Sæpe quod hinc primus concilietur amor.
Ergo mirari nunc deſino, Candida, cur te
Deperеam: ſenſi tela ſupercilii.
Dî facite, ut poſtquam læſit nil tale merentem,
Tandem etiam telum ſentiat eſſe mihi.

AD CHLORIDEM,

cum falſo nunciatum eſſet, Macutum Pomponium in Alpibus occubuiſſe.

Amabo, Chloris, ô Chloris Macuto
Sic dilecta meo, velut Catullo
Quondam Lesbia; ſic Macuto amata,
Naſoni veluti fuit Corinna,

Si demas animum parum pudicum:
Amabo, Chloris, ô Chloris Macuti
Magnæ delitiæ attamen pudicæ,
Jube ad te veniam ipſe lachrymatum.
Adferam tibi quicquid undiquaque
Latet triſtitiæ, atque tædiorum,
Mœroriſque, moleſtiæque, curæ,
Ægritudinis, infacetiarum.
Nam noſter periit Macutus ille,
Amatus pariter mihi, tibique.
Fleatur pariter mihi, tibique:
Fleamus, Chloris, ô Chloris, fleamus
Tam dure graviterque, ut & nepotum
Audire has lacrymas queant nepotes;
Tam largumque oculis pluamus imbrem,
Ut communibus obruamus undis
Alpes, Italiamque ter ſceleſtam,
Quæ meum mihi ſuſtulit Macutum,
Et tuum tibi ſuſtulit Macutum.

AD FIBULAM CANDIDÆ.

Quæſo, fibulula illa, fibula illa,
Quæ pectus dominæ meæ coërces,
Quæ ſinum niveum, measque flammas,
Illos quæ globulos duos rubentes
Intra cæca jubes manere clauſtra:
Quæſo, fibula, ne mihi miſello,
Iſtis ne miſeris meis ocellis
Theſaurum hunc niveum invidere pergas.

Nam

Nam quid commeruiſſe, quid patrâſſe
Pectus hoc niveum, ſinuſque candens,
Dignum carcere, vinculiſque poſſit?
Non cernis, rogo, non vides ut illæ
Mammæ, iſti globuli duo laborent
Luctantes avide, ſuoque pulſu
Teſtentur, ſibi non placere clauſtra?
Non times, rogo, fibula, iſta ne nix
Liquatur, nimio calore cocta?
Pergis, fibula? pergis innocentes
Intra vincula continere mammas?
Meas divitias, opes, talenta
Non vis reddere, fibula? at jubebit
Hoc tandem Venus ipſa: quippe & illam
Auſa es, peſſima, vulnerare nuper,
Cum Martem cuperet ſuaviari.
Hæc illa eſt Cytheræa, quæ jubebit
Theſaurum hunc oculis meis patere,
Theſaurum hunc manibus meis patere,
Quem nunc invidia premente celas.
Tunc tu, fibulula illa, fibula illa,
Quæ pectus Dominæ meæ negabas,
Ipſis ſordida ſordibus tegeris.

AD CANDIDAM.

Ergo deſinitis micare, ocelli?
Ergo deſinitis tumere, mammæ?
Iſta quis vetuit rubere labra?
Quis iſtas vetuit genas rubere?

E

Ubi illæ faculæ duæ micantes ?
Ille ubi tumor eſt papillularum ?
Ubi purpura, quæ genis ſedebat ?
Illa ubi roſa, quæ labris nitebat ?
Febris peſſima, ſanguiſuga febris,
Tibi hæc, Candida, ſuſtulit, mihique :
Sic ut, candida quæ prius fuiſti,
Jure pallida debeas vocari.
At vos, ô Medici, quibus tuendos
Nos dat Jupiter, otioſus ut ſit,
Ferte pharmaca, quotquot undiquaque
Mos eſt tranſvehere ultimis ab oris :
Ferte pixidas omnium univerſas,
Ferte emplaſtica, ferte potiones,
Clyſteresque, boloſque, cum trochiſcis ;
Butyrumque, oleumque, mella, fungos,
Gummi, lac, adipeſque, caſſiamque ;
Nec deſit crocus, & fragrans amomum :
Adſint thura, roſæque, cinnamomumque ;
Adſit denique quicquid aut colorem
Amiſſum dabit, aut dabit cruorem.
Quod ſi quæritis iſtius laboris
Vobis præmia quæ futura ? dicam.
Primum hæc gloria, lauſque magna vobis
Erit, pharmaca dum admovetis uni,
Conſervaſſe duos, medendo & uni,
Vitam reſtituiſſe ſic duobus.
Mille præterea dabo phaleucos,
Dabo mille elegoſque, iambicoſque,
Ut vos, qui miſeros duos amantes

Digitized by Google

Mortis eripuiſtis e barathro,
Vivatis pariter labore amantum.
Rubris baſia Candidæ à labellis,
Genis baſia Candidæ à rubellis,
Ferent ſingula ſinguli, ut ruboris
Arte veſtra operaque reſtituti
Ipſi commoda prima ſentiatis.
Vos primi tumidis manus papillis
Admovebitis, hujus ut tumoris
Arte veſtra operaque reſtituti
Ipſi commoda prima ſentiatis.
Quod ſi forte oculis frui velitis,
Permitto id quoque. Sed cavete, quæſo,
Ne vos flammea lumina iſta fallant:
Namque in his habitant Venuſque, Amorque;
Et tela hinc jaciunt Venuſque, Amorque:
Nonne præmia digna, digna merces?
Ergo, Candida, nunc relinque luctus,
Et miſſas face lachrymationes.
Namque hæc omnia, quæ periſſe credis,
Certe non periere, ſed peregre
Profecta, incipient brevi reverti.
Certe reſtitui cito videbis
Labellis, oculis, genis, papillis,
Roſas, lumina, purpuram, tumorem.

IN LIGURINUM.

Ædilis ille, Ligurine, qui tua
Repertus a te nudus eſt cum conjuge,

Digitized by Google

Nil hercle fecit præter officium ſuum,
Qui evincere a te rem voluerit publicam.

AD PEDEM CANDIDÆ.

O pes, quem geminæ premunt columnæ,
Illæ, inquam, geminæ premunt columnæ,
Quarum ex arbitrio quieſcit illa,
Quarum ex arbitrio movetur illa,
Illa Candida, cujus intra ocellos,
Illa Candida, cujus in papillis
Omnes deliciæ latent Bæzæi.
O pes candide Candidæ, ô tenelle
Mi pes, dic mihi, ô tenelle mi pes,
Qui meam mihi Candidam adferebas,
Cur meam mihi Candidam abſtuliſti?
At ſaltem decuit profectionem
Nunciare mihi, ut vel experirer
An poſſem precibus fugam morari,
Vel tibi comes eſſet hic meus pes.
O fur peſſime, quid tibi imprecabor?
An nodoſa tibi ut podagra cunctos
Vexet articulos? an ut moleſtus
Sic ſcrupus premat, ut libido nunquam
Ulla te capiat profectionis?
At dolere nequis, ſcelefte, ſolus:
Nullos ergo tibi imprecor dolores.
Non peto quadruplum, licet teneri,
Ut fur, hac merito actione poſſis:
Hoc unum peto, quod mihi abſtuliſti.
Redde me mihi, quæſo, redde, mi pes:

Digitized by Google

Mi pes, redde mihi meos amores.
Emam mille tibi, hercle, margaritas;
Smaragdos totidem, ut ſuperbus iſtis
Eas divitiis : dabo phaleucos
Qui te in aſtra ferant, ubi ſublimis
Inter ſidereos micabis ignes.
Sin minus, (nec enim genus relictum
Vindictæ eſt aliud) tibi nec unum
Pedem, ô pes, dederint meæ Camœnæ.

AD QUANDAM.

Qualis pruna ſinus contingit ſæpe gemella,
Qualis Apellæa linea ducta manu :
Tale tibi quiddam lævem diſcriminat alvum;
Tale tibi quiddam jungit utrumque femur.
Immo, fallor ego : nam nulla hîc linea prorſus,
Inque utero pars eſt nulla pudenda tuo.
Aurea quanam igitur deſcendunt parte fluenta?
Languidulus quanam parte quieſcit amor?
Hereo : ſi qua tamen tibi rimula, rimula ſi qua eſt,
Rimula (diſpeream) ni monogramma tua eſt.

IN GELLIAM.

Mœchos dicere quos ſolemus, illos
Mavult Gellia filios vocare,
Nec id judicio meo imperite.
Nam ſi dicere filios fuerunt
Matres, quos aliquot tulere menſes :
Quos decem minimum tulit per annos,
Quidni Gellia filios vocabit?

Digitized by Google

AD CANDIDAM.

Cum nos, Candida, mutuis favillis;
Communique velut calore cocti,
Vitam una peragamus innocentem,
Ut cum turture turturilla caſto:
Qui ſit innocuos ut hos amores
Tot doli exagitent calumniarum?
Hæc eſt ſcilicet omnibus ſtatuta
Lex mortalibus, ut perenne nil ſit
Quod gratum; & vicibus ſuis recurrant
Voluptaſque, dolorque, pax, & ira.
Ergo hæc, Candida, fortiter feramus,
Nos, inquam, quibus hæc ſtatuta lex eſt.
Ille autem Deus, ille qui favillas
Noſtro in pectore primus excitavit,
Nec perire poteſt, nec hos fovere
Ullo tempore deſinet calores.
Premetur, ſcio, flamma noſtra: quid tum?
Tanto fervidior futurus ignis.

IN AULAM.

Quid ſævum damnare Jovem, magnæque Dianæ
Numina tot precibus ſollicitare juvat?
Scilicet incuſas ſterilis commercia lecti,
Et tumidi velles cernere ventris onus.
Erras ſi ſterilem te credis: quippe tuliſſe
Ut pueros nequeas, at potes, Aula, viros.

Digitized by Google

AD CANDIDAM EX ICTERO CONVALESCENTEM.

Vidit te nuper Venus, ô mea Candida, vidit;
  Inviditque tibi mox inimica Venus:
Et ſe queſta Deam mortali a corpore vinci,
  Binas viciſſet quæ tamen una deas.
Crudelis tandem nati crudelia poſcit
  Tela: neget matri tela rogatus Amor?
Arma parat, cornu ſtridens volat acta ſagitta,
  Nec tamen hæc juſſum miſſa cucurrit iter;
Nam ſimul ac frontis divinum aſpexit honorem
  Cuſpis, in obliquum cœpit abire latus.
Ergo ſervata es; ſed non tamen unica, quippe
  Eſt jaculatori ſic quoque parta ſalus:
Quem ſimul ac vultu ſpectaſſes læſa minaci,
  Aut nimis, aut eſſes acriter ulta ſatis.

AD GILLIUM.

Hoc te nomine prædicas beatum,
Gilli, quod facili fruare amica,
Et benigna adeo, ut rogata nondum
Mox ſupina cadat, pedeſque tollat.
Sed erras nimium, miſelle Gilli:
Nam quæ nil penitus negare neſcit,
Opus, non homines, amat puella;
Et quæcunque nimis cadit libenter,
Surgit iſta nimis quoque illibenter.

Digitized by Google

AD CANDIDAM.

Formoſas videam cum, Candida, ſæpe puellas,
Sæpe mea eſt, fateor, ſollicitata Venus.
Sed tua, vel peream, caſtum me reddit imago;
Et quamvis cupiam, Candida, nolo tamen.

AD EANDEM.

Cum te nunc dicat populoſa Lutetia civem;
Inter me numeres, Hedua terra, tuos:
Cum nos tam longum disjunxerit intervallum;
(O Martis ſemper damna timenda feri!)
Quæris an abſentem te, Candida, ſæpe requiram:
Non ego te quæro, Candida, ſed video.
Ipſe licet terris involvat Jupiter aſtra,
Abſit ut unquam abſit, Candida, quiſquis amat.

AD EANDEM.

Attonitos inter populos cum Cæſaris eſſet
Abſentis præſens nuper ubique metus;
Saturnique ſequens propius veſtigia Mavors;
Iras in toto promeret orbe ſuas:
Concordes ſoli, mea Candida, viximus ambo,
Nec fuit hic ulla lite diremptus amor.
Fallor, an idcirco Martis tibi ſæva pepercit
Ira, quod es Marti, Candida, viſa Venus?

Digitized by Google

AD EANDEM.

Eſſe quid hoc dicam, quoties ſum, Candida, tecum,
  Cur faveat pigro nullus Apollo mihi?
Diſceſſi quoties, caleam tunc pectore toto,
  Et numeris currant ſingula verba ſuis?
Nimirum totos expoſcis, Phœbe, poëtas:
  Sed totum præſens me mea flamma tenet.

AD SEQUANAM, DE EADEM CANDIDA.

Ecce iterum navem prægnans conſcendit amica:
  Et dominam, & dominæ, Sequana, perfer onus.
Perfer, ut incolumes ambo ſua littora tangant,
  Sive utero lateat femina, ſive puer.
Sic & Yona tibi, & concedat Matrona nomen;
  Et victis Iſaræ ſic dominere vadis.
Fallor an in dominam video ſævire procellas?
  O res plena malæ ſuſpicionis amor!
Mergas, ſi libeat, noſtras, ô Sequana, flammas:
  Merſa tamen mediis flamma reſurget aquis.

AN EANDEM CANDIDAM.

Ex quo disjuncti, mea Candida, viximus ambo,
  Nec tua luminibus ſidera viſa meis:
Hora diem, menſemque dies, annumque moratus
  Menſis, jam canos pene dedere mihi.
At ſimul ac nobis iterum reddemur uterque,
  Teque mea potiar, meque fruere tuo:

Digitized by Google

Hora die, Lunaque dies numerabitur una;
Quique aliis annus, vix mihi menſis erit.
Sic tempus prærepta mihi mea tempora reddat;
Hæc eadem ut reddam, Candida chara, tibi.

IN ANDRÆAM TIRAQUELLUM,

Senatorem Pariſium, alterum noſtri ſecli Varronem.

Eſt tibi natorum quæ computat agmina conjux;
Eſt tibi quæ natos Bibliotheca parit.
Fortunate ſenex! te nulla oblivio mortis,
Te nunquam totum tollet avara dies.
Namque alia ex illis mox eſt ventura propago;
Ex his eſt pridem gloria nata tibi.
Ut vero pereant illi, illorumque nepotes,
Hæc tamen incolumis cum patre neptis erit.

IN SPURINNAM.

Tollendæ cupidus Spurinna prolis,
Alte dum ſuperat jugum Pyrenes,
Divo porrigat ut preces Jacobo:
Inde Alpes quoque præterit nivoſas,
Petri ut limina viſat atque Pauli:
Et mox Hadriacum in ſinum reflexus,
Divæ offert ſua vota Lauretanæ:
Inde per medii maris pericla
Sacram perveniens ad uſque flumen,
Sacratum Domini petit ſepulchrum:

Digitized by Google

Nec contentus adhuc, latrocinantum
Arenas Arabum ſiticuloſas
Gibbo permeat inſidens cameli,
Sublimem properans ad uſque Sinam,
Et divæ juga ſacra Catharinæ:
Quid profecerit hoc labore quæris?
Tres natos reperit domum reverſus.

CALLARTIO JURISCONS. AURELIENSI.

En ſenos tibi mitto pippiones,
Ruris munera ruſticana noſtri:
Noſtri non penitus tamen, ſed olim
Futuri, niſi forte me fefellit
Patronus, mea jura qui metur;
Jura tanta quidem, ut nec his ferendis
Terga ſufficiant onuſta muli.
Hos ergo tibi mitto pippiones,
Obteſtorque ſimul deos deaſque,
Ut ſenis tibi meſſibus peractis,
Fas ſit ex lepida tua puella
Tot natos numerare vagientes,
Quot fœtus tibi mitto pippientes.

IN BASIUM CANDIDÆ.

Vos teneri rores, calathos quibus aurea guidet
Venus roſarum aſpergere:

Te, cannis incluſe liquor, qui dulcia condis
Menſis ſecundis fercula:
Et vos deliciæ patrum, cœleſtia mella,
Teſtes apum ſolertiæ:
Vos ego, vel vobis quicquam ſi dulcius uſquam eſt,
Et ſuxi, & hauſi, & imbibi,
Heſterna felix nuper cum nocte putarem
Me baſiare Candidam.
Vos etenim pariter, ſpretis canniſque, roſiſque,
Et alvearium favis,
Intra verna meæ conſtat ſediſſe labella
Tenellulæ puellulæ.
Hei mihi! quis nobis hos ſomnos interrupit?
Quis gaudii tantum abſtulit?
Ah! Venus, hæc poſtquam prohibes me carpere vera,
At ſomniare me ſinas!

THEODORUS BEZA,
de ſua in Candidam & Audebertum benevolentia.

Abeſt Candida: Beza, quid moraris?
Audebertus abeſt: quid hìc moraris?
Tenent Pariſii tuos amores,
Habent Aurelii tuos lepores;
Et tu Vezeliis manere pergis,
Procul Candidulaque, amoribuſque,
Et leporibus, Audebertuloque?
Immo, Vezelii, procul valete,

Et vale pater, & valete fratres:
Namque Vezeliis carere poſſum,
Et carere parente, & his, & illis;
At non Candidula, Audebertuloque.
Sed utrum, rogo, præferam duorum?
Utrum inviſere me decet priorem?
An quenquam tibi, Candida, anteponam?
An quenquam anteferam tibi, Audeberte?
Quid ſi me in geminas ſecem ipſe partes,
Harum ut altera Candidam reviſat,
Currat altera verſus Audebertum?
At eſt Candida ſic avara, novi,
Ut totum cupiat tenere Bezam:
Sic Bezæ eſt cupidus ſui Audebertus;
Beza ut geſtiat integro potiri:
Amplector quoque ſic & hunc & illam;
Ut totus cupiam videre utrumque,
Integriſque frui integer duobus.
Præferre attamen alterum neceſſe eſt.
O duram nimium neceſſitatem!
Sed poſtquam tamen alterum neceſſe eſt,
Priores tibi defero, Audeberte.
Quod ſi Candida forte conqueratur:
Quid tum? baſiolo tacebit imo.

Digitized by Google

PONTICUS CORNELIO,
DE UXORE NON DUCENDA.

Cum velis uxorem, Corneli, ducere: quæro
Conjugium placeat qua ratione tibi?
Scilicet ut deinceps vivas felicior: atqui
Fallor ego, aut non hac lege beatus eris.
Uxor enim aut deformis erit: (tune, obſecro, talis
Si tibi ſit conjux juncta, beatus eris?)
Aut forma mediocris erit; modus iſte, fatemur,
Optimus, at ſubito deperit iſte modus:
Aut formoſa, ideoque viris obnoxia mille,
Et de qua nequeas dicere, tota mea eſt.
Ut ſit caſta tamen, (nemo ſi forte rogarit)
Mille feret natos, tædia mille feret.
Aut ſterilis tecum tardos ſic exiget annos,
Nullus ut e multis ſit ſine lite dies.
His addas caput indomitum, mentemque tenacem,
Cæteraque a multis quæ didiciſſe potes.
Deſine ſic igitur vitam ſperare beatam:
Sit potius celebs & ſine lite torus.
Hîc etenim ſi qua eſt felicis ſemita vitæ,
Femineas juxta non latet illa nates.

CORNELIUS PONTICO,
DE UXORE DUCENDA.

Uxorem cupiam cum ducere, Pontice, quæris
Conjugium placeat qua ratione mihi

Deformem nolo, formoſam exopto: placebit,
Si nequeo pulchram, quæ mediocris erit.
Formoſam, dices, alii mox mille rogabunt;
At nulli, quamvis ſæpe rogata, dabit.
Forma perit ſubito mediocris: id ille queratur,
Qui præter formam nil muliebre probat.
Si dederit natos, natos ſpectare juvabit:
Si ſterilis, quid tum? ſarcina noſtra levis.
Cætera quæ narras certe ſunt magna, fatemur;
Eſt animuſque tenax, indomitumque caput.
Sed ſua ſunt cunctis connata incommoda rebus:
Ipſa etiam damnis commoda plena vides.
Et me miraris vitam ſperare beatam,
Si mihi ſit deinceps femina facta comes?
Semita virtutis ſtricta eſt, ſi vera loquuntur:
Hæc quoque quam quæro, Pontice, ſtricta via eſt.

DE PHILLIDE ET DAMONE.

Bis ſenas hyemes accenſus Phillide Damon,
Pertuleratque faces, pertuleratque gelu.
Quam tamen ut vidit crudeli funere raptam,
Attonitus fertur conticuiſſe diu;
Et tandem lingua ſingultibus interrupta,
Dixiſſe hæc multis paucula cum lachrymis:
Felix Damon eras, hac ſi tibi fata dediſſent
Vivere vel viva, vel moriente mori.
Dixit, ſemianimiſque cadens perfecit, ut ambo
Corpora ſint uno pene cremata rogo.

Digitized by Google

IN ITALIAM.

Cur italas urbes Phœbus torrentior urat;
Si quæras fieri qua ratione putem?
Nec, vicina magis quia Phœbi ſemita, dicam,
Dicere nec mendax quæ ſolet Aſtrologus.
Verum aliud dicam, quod ſi vis teſte probari,
Hoc tibi vel gemino teſte probare licet.
Nulla magis tellus pulchris fœcunda puellis
Italia, nulla eſt terra beata magis.
Hi ſunt nimirum, quos Phœbus dum videt, ignes,
Credibile eſt ignes multiplicare ſuos.

DE COMA CANDIDÆ, AD ZEPHYRUM.

Aura nec nimio æſtuans calore,
Aura nec nimio rigore frigens,
Sed verno comes ire ſueta Phœbo:
Aura frigidula, aura mollicella,
Quæ ſic lacteolæ meæ puellæ
Crines aureolosque, criſpuloſque
Audax exagitaſque, ventilaſque:
Ecquid, obſecro, dum per univerſum
Læta perſtrepis & vagaris orbem,
Cernis candidula mea puella
Tenellum mage delicatulumque?
Sed, quæſo, mihi dic & iſtud, Aura,
Dum tu ſic temere hanc comam pererras,

Digitized by Google

Cincinnique agis hinc & inde nodos,
Non times, rogo, ne vel hinc vel illinc
Veloci miſer impliceris ala?
Nam qui tam tenues tibi capilli,
Quæ molles adeo comæ videntur,
Non ſunt, crede mihi, comæ aut capilli;
Sunt plagæ potius, quibus ſceleſtus
Irretit miſeros Cupido amantes,
Ut tela tenui ſagax Arachne
Incautas ſolet occupare muſcas.
Sic me, ſic miſerum Cupido cepit;
Sic tu, ni caveas, peribis, Aura:
Sed quam ſuaviter, ô dii, peribis!

IN VIRUM MORE TURPISSIMO *γυναικοκομῶντα* (1), AD POSTHUMUM.

Cincinnatulus ille, cui undulati
Propexique humeros gravant capilli,
Qui terſa cute, blæſulaque voce,
Qui pætis oculis, graduque molli,
Et pictis ſimulat labris puellam,
Heri, Poſthume, nuptias parabat;
Cum nequiſſimus omnium ſacerdos,
Urbanus tamen & facetus hercle,
Utra ſponſus erat, rogare cœpit.

(1) *Muliebriter comatum.*

Digitized by Google

COMPARATIO AMANTIS CUM VENATORE.

Dum leporem nuper nemoroſa per avia ſector;
  Antiquæ in mentem mî rediere faces.
Nec mirum, ſtudio cum delectentur eodem,
  Cui Dictynna placet, cui Cytheræa placet.
Ille etenim leporem ſectatur, & iſte leporem.
  Res fugitiva lepus, res fugitiva lepos.
Venator caſſes, & caſſes tendit amator,
  Quos ſæpe incaſſum tendit uterque tamen.
Ex æquo pluvias & ventos ſpernit uterque:
  Damnoſos nutrit ſtultus uterque canes.
Attamen hoc diſtant, quod cum fera ſternitur, alter
  Præmia ſolliciti juſta laboris habet:
Tum demum vero infelix ſuperatur amator,
  Cum ſimilis victæ præda ſupina jacet.

IN NUPTIAS JANI GARNERI, ET MARGARETÆ URANIÆ.

Redde tu mihi, Margareta, redde,
Redde, inquam, mihi, tu puella, Janum,
Janum quem violenta ſurpuiſti.
At iſtis male ſit genis rubellis,
Et iſtis quoque blandulis ocellis,
Et vobis quoque, veſculæ papillæ,
Et vobis quoque, criſpuli capilli,
Meum qui mihi amiculum abſtuliſtis.

Digitized by Google

Margaretula, tene, tene deinceps
Janus delicias ſuas vocabit,
Et hunc delicias tuas vocabis?
Totus ergo tibi, puella, Janus
Deinceps & vigilabit & quieſcet;
Et ſi quando fores adibo Jani,
Non confeſtim aderit, velut ſolebat;
Sed prodibit anus ſceleſta tandem,
Herum quæ procul hinc abeſſe juret,
Intus cum foveat ſuos amores?
At Janum interea foris requiret
Fruſtra tota cohors amiculorum;
Cum Janus tamen aut labella bella
Miretur ſimul & ſuavietur,
Aut tractet lepidæ ſalax puellæ
Audaci teretes manu papillas;
Et quantum quoque diſtet hæc ab illa
Forſan diſcere curioſus optet.
At Jani interea ad fores ſedebit
Fruſtra tota cohors amiculorum,
Cum fruare tuo, puella, Jano.
Et tanquam jocus hic ſit inſuavis,
Lucteris ſimul, & ſuavieris,
Mineris ſimul, atque blandiaris;
Donec depoſito furore tandem
Janum ſuxeris, ô puella nequam,
Audacemque tamen tuum eſſe Janum
Voce deficiente conqueraris.
At ſaltem, improba Margareta, fœdus

Hac tecum liceat ferire lege :
Janum fas tibi ſit, puella, toto
Poſſidere die ; frui in tenebris
Mî ſaltem liceat, puella, Jano.
Fallor, an tibi plus placent tenebræ ?
Immo vis pariter diem atque noctem.
Et dat ille tibi diem atque noctem.
Nocte ſit tuus ergo, ſitque luce,
Dum, Jani unius in locum, quotannis
Des nobis alios, puella, Janos.

IN PETRI BEMBI PATRITII VENETI HISTORIAM VENETAM.

Claræ urbi Venetum debes natalia, Bembe :
  Urbs eadem clara eſt munere, Bembe, tuo.
Tu patria felix, felix te patria cive,
  Bembe : tamen debet patria plura tibi.
Nam mortale fuit patriæ quod munus habebas :
  At, quam das patriæ, vita perennis erit.

IN EAM CUI MORTUÆ ET JAM TUMULANDÆ VIVUS FŒTUS NATUS EST. *EX VALERIO MAX.*

Prægnante infelix amiſſa uxore maritus,
  Unas dum geminis apparat exequias,
Extinctæ (dictu mirabile) matris ab alvo
  Salvus & incolumis prodiit, ecce, puer.

Digitized by Google

Salve, infans, elate prius quam nate, ſepulchrum
Cui cunas, vitam mors properata dedit.
Mortua tu vero, ſuperata morte, triumpha,
Poſt tua nimirum funera facta parens.
Denique tu cunctos inter celebrêre maritos,
Uni cui ſobolem mors homicida dedit.

IN EBRIOSOS.

Belidas fingunt pertuſa in dolia Vates
Mox effundendas fundere ſemper aquas.
Nomine mutato narratur fabula de te,
Ebrie, qui meias quæ ſine fine bibis.
Quin etiam hoc in te quadrat, turba ebria, quod ſint
Corpora quæ fuerant, dolia facta tibi.

CARINO ADMODUM NASUTO.

Quod quacunque venis, fuga eſt, Carine,
Ceditur que tibi velut Tribuno,
Tandem deſine, quæſo gloriari:
Naſo, non tibi, ceditur, Carine.

P. MELISSO SCHEDIO.

Mellitiſſime, quæſo, mi Meliſſe,
Quo mellita magis nec ipſa mella,
Nec ipſi lepidi magis lepores,
Nec eſt ipſa Venus magis venuſta:
Quiſnam hoc nomine te beavit augur

Digitized by Google

Fallor, an tibi vel novem Camœnæ,
Vel ipſæ Charites tibi hoc, Meliſſe,
Præſagæ puero dedere nomen?
Sed ô parcite vos mihi, Camœnæ,
Et vos ô Charites. Meliſſus iſte
Quorſum? Nam potius vel eſt mel ipſum,
Vel eſt ipſa opifex μέλισσα mellis,
Vel certe ipſius officina mellis.

FINIS.

Digitized by Google

MARCI ANTONII
MURETI
LEMOVICENSIS
JUVENILIA.

Digitized by Google

MARCI

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

MARCI ANTONII

MURETI

In librum JUVENILIUM *ad clariſſimum virum Janum Brinonem in ſenatu Pariſienſi conſiliarium Regium.*

PRÆFATIO.

Sæpenumero ſum admiratus, Jane Brino, vir illuſtriſſime, quo tandem fato contigerit, ut cum e Gallia noſtra pene innumerabiles extiterint in omni genere ſcientiæ præſtantes viri, poëtarum tamen magna ſemper a nobis fuerit inopia laboratum: idque eo admirabilius videri poteſt, quod quæ ad poëtas efficiendos plurimum valere dicuntur, ingenii bonitas, linguarum peritia, & multarum magnarumque rerum comprehenſa cognitio, ea in perplurimis noſtrorum hominum, nihilo cæteris nationibus, ne quid arrogantius dicam, inferiora reperiri queunt. Neque vero illud dicere poſſumus, graviorum artium ſcientiæ addictos homi-

Digitized by Google

nes Gallos operam ponere in his levioris operæ ſtudiis noluiſſe : eorum enim qui ad verſus faciendos animum adjecerunt, quædam prope infinita vis facile non tam voluntatem eis, quam eventum defuiſſe declarat. Quod ſi id nobis Græco tantum, aut Latino ſermone contigiſſet, forte cauſam illius paucitatis in earum linguarum peregrinitatem rejicere liceret : nunc vero cum idem in eo contigerit, quem a nutricibus, una cum ipſo, ut dicitur, lacte combibimus, aliam omnino cauſam neceſſario cogimur ſuſpicari. Scio, hoc quod dicturus ſum, quantopere nonnullorum animos mordeat; ſed tamen & veriſſimum eſt, & mehercule jam notius, quam ut negari amplius poſſit. Qui ſe vernaculo noſtro ſermone poetas perhiberi volebant, perdiu ea ſcripſere, quæ delectare modo otioſas mulierculas, non etiam eruditorum hominum ſtudia tenere poſſent. Primus, ut arbitror, Petrus Ronſardus, cum ſe eruditiſſimo viro Joanni Aurato in diſciplinam dediſſet, eoque duce, veterum utriuſque linguæ poëtarum ſcripta, multa & diligenti lectione triviſſet, tranſmarinis illis opibus ſua ſcripta exornare aggreſſus eſt : cujus poſtea exemplum inſecuti J. Antonius Baïſius, J. Bellaïus, aliique permulti, brevi tempore tantos fecere progreſſus,

Digitized by Google

ut res vel ad ſummum perveniſſe jam, vel certe haud ita multo poſt perventura eſſe videatur. Idem in lingua Latina multum abeſt, ut dicere liceat: in qua cum ex veteribus ab Auſonio, ex recentioribus a Salmonio, & aliis duobus forte, aut ſummum tribus diſceſſeris, ut Græci proverbio dicunt eſſe multos quidem qui boves ſtimulent, ſed raros aratores, ita dicas licebit, multos quidem eſſe qui verſus faciant, ſed raros, planeque εὐαριθμήτους (1) poëtas. De iis loquor, qui ſcripta ſua in publicum edidere: ſcio enim & alios eſſe ſat multos, & inprimis eum quem ſupra nominavi, Joannem Auratum, qui vel ſolus, vel præcipue, ſi quando ſua emiſerit, effecturus eſt, ne ulterius ſuos Jovianos, Actios, Molſas, Flaminios Italiæ invideat Gallia. Cum igitur, ut ad inſtitutum redeam, in tanta ingeniorum bonitate, in tanto doctiſſimorum virorum proventu, in tanta adoleſcentum poëtices ſtudioſorum æmulatione, quaſique rivalitate, tantam poëtarum raritatem animadverto; nihil fere aliud comminiſci poſſum, niſi eſſe quandam, ut cæterarum rerum, ita ſtudiorum quoque tempeſtivitatem, ſtatiſque quodammodo cœli converſionibus fieri, ut modo in hac, modo in illa facultate certi homines

(1) *Vel digitis* numerandos.

Digitized by Google

præſtantes & egregii exiſtant. Quod ſi eſt; bona ſpes me tenet fore, ut ſub Henrico (1) rege Chriſtianiſſimo, tanquam olim ſub Auguſto, poëtarum ingenia excitentur. At de his quidem ſatis nunc: tempus eſt, ut de meipſo tibi dicere aliquid incipiam qui cum etiam puerulus, & a teneris, ut Græci dicunt, unguiculis admirabili quodam poëtices amore flagraſſem, multa etiam pene in omni genere carminis, veteres, quoad per vires licuerat, imitatus conſcripſeram; quorum, paulo grandior factus, nonnulla Tardipedi, ut ait Catullus, Deo dicaram, nonnulla projeceram, nonnulla etiam, ut fit, penes me retinueram. Ea igitur cum haud ita pridem amicis quibuſdam meis, quibus ego plurimum in hoc genere tribuo, communicaſſem, non eis ſolum illi calculum ſuum adjecere, verum etiam auctores mihi fuerunt, ut edenda eorum ſaltem aliqua parte judicia hominum experirer. Aſſenſus ſum, ut quod verum eſt ingenue fatear, non admodum gravate: tum quod res non magni periculi videretur; tum quod facile confiderem fore me, ſi non, ut ait Horatius, extremum primorum, at certe extremis uſque priorem. Subſecivis igitur horis, aliquod mihi tempuſculum a philoſophiæ, & juris civilis prælectionibus, qui-

(1) *Secundo.*

bus aſſidue occupatus diſtineor, ad hæc exſcribenda, & in ordinem utcunque redigenda ſumſi; nam perpolire & limare accuratius neque magnopere libebat, neque per eas, quas modo dixi, occupationes licebat. Feci autem, quod locupletes interdum œnopolæ ſolent, qui multa hoſpitibus vini genera guſtanda proponunt, electuris quod ad palatum maxime fecerit: nam ita & nos multa poëmation genera propoſuimus, ut ſi forte in aliquo lectoribus feciſſemus ſatis, in eo plura porro emittere pergeremus. Hoc autem quicquid erat libelli, *Juvenilia* inſcribere placuit, ut ſi quid forte interdum laſcivius dictum eſſet, ipſa nos apud ſeveriores excuſaret inſcriptio. Ac initio quidem decreveram eum nemini cuiquam dicare, ut qui tanti eſſe non ducerem: quod conſilium cur poſtea mutaverim, intelliges. Cum jam in eo excudendo librarii eſſent, forte die quodam accidit, ut ex ſtudiorum laboribus pejuſcule me haberem. Venere ad me, pro noſtra familiaritate, Comes Alcinous, J. Antonius Baïfius, Stephanus Jodellus, ut alloquio ſuo & partem meæ moleſtiæ allevarent, & paulatim eximerent diem. Ibi multis ultro citroque habitis verbis, tandem de his etiam nugis injectus eſt ſermo; primuſque Baïfius rogavit ex me,

Digitized by Google

eccuinam librum meum dicare meditarer: tum ego, id quod res erat, nemini. Ibi tum Comes valde hortari me cœpit, tibi ut eum inſcriberem; pergratum id tibi, perque acceptum fore: ſimulque nactus dicendi campum, cum alia multa de te honorificentiſſime commemorare cœpit, tum ea quæ tu in Ludovicum Querculum, hominem optimum & doctiſſimum, inſtitutorem olim tuum, benigniſſime & feciſti & quotidie facis: quæ etſi omnes optime noveramus, nemo tamen erat, qui non in Comitis de tua laude dicentis oratione libenter acquieſceret. Quid quæris? Cum aliquandiu reluctatus fuiſſem, veritus ne parum decorum videretur iſta tam puſilla in tuo tanti viri nomine apparere, ad extremum tamen me perſuaderi paſſus ſum: quod eò dico, ut ſi forte mea tibi parum probabitur audacia, Comes ipſe mecum culpæ ſuſtineat partem. Valde autem te oro, vir illuſtriſſime, ut dum tibi alia graviora molimur, hoc, qualecunque tandem eſt, æqui bonique conſulas. Tibi quidem integrum eſt, hujus veluti glebæ apprehenſione totum agrum, uti optimus, maximuſque eſt, ſi collibuerit, vindicare. Quod ut facias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Vale. Lutetiæ, 8. calend. Décemb. 1552.

Digitized by Google

E L E G I A R U M
L I B E L L U S.

E L E G I A P R I M A.

NON ego Cadmæos meditor committere fratres,
Quorum inimicitias ipſa locuta pyra eſt:
Non veteris Trojæ lacrymoſa reponere bella,
Bella canenda aliis, bella cavenda mihi.
Hoc aliis per me liceat decurrere campo,
Illa meis non eſt verſibus apta ſeges.
Me Venus, & Veneris certo puer improbus arcu
Enervant, numeros attenuantque meos,
Nec, præter dominæ blandum ridentis ocellos,
Carmine me quicquam concelebrare ſinunt.
Forſitan iſta ſenes culpabunt ſcripta ſeveri:
Quid faciam? res eſt imperioſa decor.
Quem non ille hominum, quem non movet ille Deorum
Sæpe etiam cœlo diripit ille Jovem.
Me quoque Margaridos decor admirabilis urit,
Et ſibi devinctum magna ſonare vetat.
Nec vero Aonides veſtro me excludite cœtu,
Si qua ego virginibus non ſatis apta canam.
Nempe etiam e vobis juvenili capta decore
Œagro tenerum ſubdidit una latus.
Si nulla e vobis ullum ſenſiſſet amorem,
Unde foret, quæſo, dicite, natus Hymen?

Digitized by Google

Sanctus Hymen, qui ſeductas a matre puellas
  Abripit, inque viri collocat ipſe ſinu?
At tu, quæ in me oculis nimium violentibus uſa,
  Nunc ſpolia e noſtro ſanguine opima refers,
Hos numeros hilari (quid enim vetat?) accipe vultu,
  Et vide, ut in ſpeculo, quid tua forma queat.

ELEGIA II.

PRIMA meæ quiſquis deliramenta juventæ,
  Et ſpecimen tenuis reſpicis ingenii:
Sic tibi, ſi quid amas, ſemper contingat amari.
  Invidia vacuus, ſi legis iſta, legas;
Nec tibi ſit duros acuiſſe in carmina dentes,
  Carmina quæ propriis ſcripſit Amor manibus.
Seu ſunt grata tibi, qua fronte placentia culpes?
  Seu minus, ecquis te cogit ut illa legas?
Seria ſi quæris, non ſunt hîc ſeria, lector:
  Scribere amatorem ſeria poſſe putas?
Nos ignes canimus, pueri nos tela volantis,
  Omine non fauſto cognita tela mihi;
Et dominam, cujus ſub amœna fronte relucent
  Lumina ſidereis æmula luminibus:
Lumina materies ardoris maxima noſtri,
  Lumina, quæ mentem ſurripuere mihi.
Hæc ego ſola canam, dum florida ver aget ætas:
  Sit procul hinc tragico ſyrmate Muſa tumens.
Poſt, mea cum multi diſtinguent tempora cani,
  Venerit & tremulo curva ſenecta gradu,

Digitized by Google

Tunc mihi ſit curæ Solis perdiſcere curſum,
An ne, & quæ noceant ſidera, quæque juvent;
Quot cœlum teneant zonæ, quot partibus orbis
Conſtet, & unde cadant fulmina, curve cadant.
Utamur, dum fata ſinunt, melioribus annis,
Et tota nobis mente colatur Amor:
Dum decet & poſtes nocturna frangere rixa,
Nec pudor eſt vernis frons redimita roſis;
Dum decet & mentem leni vincire Lyæo,
Et dominæ clauſas ante jacere fores.
Auferet hæc ſecum, velut aufert omnia, tempus:
Cernis, ut hora, dies, menſis, & annus eunt?
Qui modo vagibat, nunc eſt puer, inde repente
De puero juvenis, mox vir, & inde ſenex.
Quare florentes, aptoſque caloribus annos
Quiſquis agis, Veneris vive ſub imperio;
Ne fruſtra ætatis meliori parte peracta,
Vivere tunc cupias, vivere cum nequeas.

ELEGIA III.

SCIRE cupis, quæ ſit votorum ſumma meorum,
Et qua præcipue vivere ſorte velim?
Non ego tecta mihi Phrygiis innixa columnis,
Divitis aut auri pondera mille petam;
Non ab Erythræo repetendas littore conchas,
Aut quæ centenus jugera taurus aret;
Sed tecum longæ traducere tempora vitæ,
Securumque tuo ſemper amore frui.

F v

Digitized by Google

Tunc ego purpureos poſſim contemnere reges
Præque mea ſors eſt, dicere, veſtra nihil:
Si me candidulis incinctum, vita, lacertis
In tepido teneas, confoveaſque ſinu,
Me nunc mellitis mulcens ſermonibus, & nunc
Continuo fixis impete baſiolis,
Semotum ſtrepitu, dominæque tumultibus urbis,
Verſantem valido pinguia rura bove.
Sic tecum, mea lux, vitæ traductus inerti
Vivere ſi poſſim, nil prius eſſe putem.
Tecum ego per montes, tecum per devia teſqua,
Et curram nullo per loca tacta pede:
Poſt, ubi currendo fuerit laſſatus uterque,
Feſſa in graminea membra reponet humo,
Et rurſum certamen erit linguiſque, labriſque,
Quod vel Chaonias vincere poſſit aves.
Forſitan & quiddam poſt baſia multa ſequetur,
Multo illis quod ſit dulcius & melius.
Non ego tunc loculi metuam gravioris amantes:
Servandæ bona ſunt rura pudicitiæ.
Balnea non illic, non ſunt populoſa theatra,
Non quicquid mentes ſollicitare poteſt;
Sed nemora, & placido currentes murmure rivi,
Demulcenſque rudi carmine paſtor oves.
Porro deterior nobis cum venerit ætas,
Sparſerit & cana tempora noſtra nive:
Tunc curare cutem, genioque litare decebit,
Dum fuerint vitæ ſtamina rupta meæ.
Nam mea tu, ſed non longum manſura ſuperſtes,
In tumulo condes oſſa minuta brevi:

Digitized by Google

Deinde ubi te pariter ſæva mors impia falce
  Læſerit, & juris juſſerit eſſe ſui;
Quo nos, te poni tumulo mandabis eodem,
  Inſcriptum lapidi carmen & iſtud erit:
Cor fuerat binis unum, mens una, viator,
  Quorum nunc unus contegit oſſa lapis.

ELEGIA IV.

VIRGO oculis ipſis merito mihi carior, ac non
  Solum oculis ipſis, quin etiam ipſa anima:
Quam niveus morum candor, mens neſcia fraudis,
  Plus quam majorum ſtemmata nobilitant,
(Nobilitent licet ipſa, licetque a ſanguine claro,
  Et non obſcura ſit tibi ſtirpe genus,)
Quanta, putas, noſtram vexarunt tædia mentem,
  Ex quo diverſis cœpimus eſſe locis?
Mitius hoſtili ruerent cum Pergama dextra,
  Laomedontiadas indoluiſſe puto:
Mitius Electram, falſas cum triſtis ad aures
  Venit Oreſtææ nuncia fama necis.
Scilicet haud alius campis errabat Aleis
  Excuſſus patrio munere Bellerophon.
O! quoties ægro ſuſpiria pectore duxi,
  Atque ignis, dixi, quam procul hinc meus eſt!
O! quoties quavis libuit mihi morte paciſci,
  Poſſemus paucos ut ſimul eſſe dies!
Occurrunt animo ridentia lumina noſtro,
  Occurrit fuſco blandus in ore lepos:

Digitized by Google

Nunc molles ſubeunt riſus, nunc gratia fandi,
Nunc ſubeunt ſciti, ſed ſine dente, ſales,
Verbaque, amareſcunt mihi præ quibus omnia mella:
Ah! me his tam longum poſſe carere bonis!
Improba, Perſephones educta ex carcere Peſtis,
Vix tua plus illi, quam mihi, tela nocent:
Falx tua non paucos letho multavit amaro,
Falx tua corde meo me jubet eſſe procul.
Illis finis adeſt vitæ, finiſque dolorum,
At mea perpetuus pectora languor habet.
Hem! nunquamne ego te poſthac, mea cura, reviſam!
Nunquamne os iſtud ſuaviloquum aſpiciam!
Nunquam erit, ut veteri Sol nos de more jocantes
Conſpiciat ſurgens, conſpiciatque cadens!
Certe equidem eveniet. Viden', ut jam fulgure lævo
Firmarit noſtras Jupiter ipſe preces?
Spes fovet in medio jactatos æquore nautas,
Spes fovet armatos, ſpes fovet agricolas.
Spes fovet incluſos tenebroſo carcere ſontes,
Et nos in vita ſpes quoque ſola tenet:
Hæc modo ne quando temerè concepta putetur,
Fac fiat ſcriptis certior uſque tuis.

ELEGIA V.

Non ego Cumæi peragam ſi pulveris annos
Vivere Margaridos liber amore queam:
Nec ſi ſe lecto Venus offerat aurea noſtro,
Margaridem Veneri poſtpoſuiſſe velim:

Digitized by Google

Tam mihi confixit jaculo præcordia certo
  Idalius cornu notus & igne puer.
Hæc quoque naſcenti cecinerunt fata ſorores,
  Quas Nox antiquo ſuſtulit ex Erebo.
At Paris Œnonem quamvis ardenter amaret,
  Suſtinuit viſa linquere Tyndaride.
Dixerat & Theſeus, ego te Minoi relinquam?
  O! ea ſit letho tardior hora meo.
Vix bene vectus erat ſpumoſa ad littora Diæ,
  In viduo conjux ſola relicta toro eſt.
Submergi, dum per Neptunia prata vagatur,
  Dignus & iſte fuit, dignus & ille fuit,
Qui potuere ſuos alio transferre calores,
  Et vitas vita deſeruere prius.
Tale ego ſi faciam facinus, mihi terra dehiſcat,
  Et rapiar Siculæ vivus in antra Deæ:
Illic me Tragicæ vexetis Erinnyes, illic
  Omnia cunctorum ſolus acerba feram.
Sed neque tam dubius, neque ſum tam fictus amator;
  Una dies vitam finiet, una fidem.
Quandocunque igitur fatalia tempora menſus
  Ad vacuas lucis cogar adire domos,
Margaris ipſa mihi natitantes claudat ocellos,
  Vitamque ore ſuo carpat ab ore meo.
Poſt, effuſa comas, noſtrum fleat ante ſepulchrum,
  Serta ferens lacrymis humida facta ſuis,
Et dicat: VATES nuper, Murete, fuiſti
  Non bonus, at certe fidus amator eras.

Digitized by Google

ELEGIA VI.

MARGARI, quis mihi te reddat Deus, aut tibi quis me
  Aſpectu ut grato poſſit uterque frui!
Nec ſolum aſpectu, ſed & oſcula ferre citato
  Impete, quæ nullus dinumerare queat:
Ut colludentes jucundo murmure linguæ
  Committant avidas per patula ora animas.
Non ita læta fuit quondam Icariotis, Ulyſſem
  Cum vidit ſalvum poſt duo luſtra ſuum,
Nec tam iterum accepta Lyrneſſide lætus Achilles,
  Qua quondam abducta fleverat ipſe diu,
Quam te conſpecta ſcis me, mea vita, futurum;
  Quam me conſpecto te ſcio, vita, fore.
O! quam avide, o! quoties, o! quot, formoſa, figuris
  Iſti ori roſeo baſia preſſa darem!
Non hedera annoſas complectitur arctius alnos,
  Non ulmum vitis preſſius ulla tenet.
Tunc mea turgidulas tractaret dextra papillas,
  Tractarent avidæ lactea colla manus.
Longa vetant, eheu! ſpatio interjecta viarum,
  Quanta Hypanin vix ſunt inter & Erydanum;
Nam te Pictonicæ retinent felicia terræ
  Oppida, qua Clanus pinguia culta ſecat.
Me vero invidiæ procul a te dentibus actum
  Fortia lunatæ mœnia Burdigalæ,
Pocula quà veteri non inferiora Falerno
  Ducit ab innumeris glarea trita rotis.

Digitized by Google

Et tamen, heu! ſine te mihi jam nec dulcia vina,
 Triſtia nec quicquid corda levare ſolet.
Ipſa mihi eſt inviſa dies, Sol ipſe videtur
 Oppoſita vultus abdere nube ſuos.
Et merito: quid enim ſine te non triſte putandum eſt,
 Qua ſine vel vita eſt ipſa moleſta mihi?
O! Dî, ſi miſeros veſtrûm fovet ullus amantes,
 Vos tandem faciles in mea vota date:
Reddite me dominæ, vel ſi id per fata negatur,
 Finiat angores nex inopina meos.

ELEGIA VII.

AD P. CRUSELIUM MEDICUM.

DUM tu conaris Parcarum extendere fila,
 Semineces luci reſtituiſque viros,
Conclamata novam mittens in corpora vitam,
 Atque Charonta levi currere nave jubens:
Interea quo me, Cruſeli docte, putares
 Ducendos ſine te fallere more dies?
Scilicet, ut ſemper, noſtros agitamus amores,
 Quæ vitæ nobis ſola terenda via eſt;
Et modo damnamus, toties quem ſenſimus, arcum,
 Nunc de crudeli conquerimur domina;
Nunc, qua placari poſſit ratione, rogamus:
 Omnia quæ quivis tactus amore ſolet.
Hæc mea laus, hæc ſint famæ præconia noſtræ:
 Non alio ad manes nomine notus eam.

Digitized by Google

Ut quondam juvenis telo percuſſus eodem,
  Quo nos, aſſidue carmina noſtra legat,
Agnoſcatque ſuos noſtris in verſibus ignes;
  Reddaturque meis cautior ipſe malis.
Tu cui fatipotens artem conceſſit Apollo;
  Morborum pelli qua genus omne queat,
Perge ſalutifera miſeris ſuccurrere dextra,
  Regnaque Perſephones fac populoſa minus:
Ut tibi læta viro gratetur ſoſpite conjux,
  Et pene amiſſo turba minuta patre;
Ut te fama ferat candentibus aurea pennis
  Hippocrati Coo, Phylliridæque parem.
At ſine me, qui ſum ſectando natus Amori,
  Inter inexhauſtas vivere nequitias:
Me diſperdat Amor; ſemper me torqueat, inque
  Corde meo accenſas ventilet uſque faces:
Qui ſi te pariter certo concuſſerit arcu,
  Hei mihi, quot curas perpetiere miſer!
Tunc tandem diſces, quid ſit ſervire puellis,
  Tunc tandem, excludi quid ſit, amice, ſcies.
Nil tibi multiplices cognoſcere proderit herbas,
  Hunc etenim morbum pharmaca nulla juvant.
Quippe etiam Phœbum virgo Peneïa torſit,
  Profuit auctori nec medicina ſuo.
O! quam ſæpe mihi, mallem, cariſſime, dices,
  In gelidis Scythiæ montibus eſſe lapis.
Hæc te, & plura manent: ſed quæ tua cunque futura eſt,
  Ingenio ſaltem digna ſit illa tuo.

Digitized by Google

ELEGIA VIII.

Basiolum blando retulit mihi Margaris ore,
Ambroſia & dulci nectare, dulce magis;
Quale thymo aut caſiæ, verni ſub primula Solis
Lumina, cum blando murmure libat apis:
Inde fugit propere pedibus laſciva protervis,
Dum ſeſe in tenebris poſſe latere putat.
Sed nihil eſt, non ſivit eam latuiſſe Cupido:
Erranti faculas prætulit ille mihi.
Jam te igitur rurſus teneo, formoſula, jam te
(Quid trepidas?) teneo: jam, roſa, te teneo.
Da mihi pro grata ſumti mercede laboris
Ter tria, terque tribus baſia ducta modis.
Dic age, num ſentis animos concurrere noſtros
Dum ſibi dimidium quærit uterque ſui?
Sic age, ſic mea vita, animos jungamus utrinque,
Nulla ut eos poſſit diſſociare dies.
Quin tandem ambiguæ poſt jura precaria lucis
Unicus e gemino ſpiritus ore fluat.

ELEGIA IX.

Margari, flammeolis quæ me comburis ocellis,
Per quos in cineres, hei mihi! vivus eo:
Dic mihi, quî facias tam multa incendia, cum ſis
Candidior prima frigidiorque nive?
Namque ea quæ molles exeſt mihi flamma medullas;

Digitized by Google

A te, ſi qua fides, non aliunde venit.
Tu tamen, heu! tanquam glacie circumdata pectus,
Edurè noſtras reſpuis uſque preces.
Eſſe quid hoc dicam? neque enim potis eſt in eodem
Cum ſummo ſummus frigore ineſſe calor.
Scilicet & quæ nos fieri non poſſe putamus,
Cum libet, & quoties, perficit unus Amor.
Is tibi cor mixto circumdedit igne, geluque,
Quæ poſſent ferri ſingula, juncta necant.
O! igitur glacies quovis ardentior igni,
O! ignis quavis frigidior glacie!
Aut ne me perdant tua frigora, mitius ure:
Aut ne flamma, gelu projice, Diva, tuum.

ELEGIA X.

AD F. VERUM LOMENIUM.

HEI mihi, cur genio vis me pugnare, Lomeni,
Naturæque jubes vertere jura meæ?
Cur-ve parum gratas impellis durus ad artes,
Muſica cui ſolum ſacra placere vides?
Nam nec agris miles fieri, nec idoneus armis,
Cui ſemel arriſit ruſtica vita, poteſt;
Nec ſi quem placido naſcentem lumine Clio
Viderit, admota contigeritque manu,
Aut bonus hoſtiles unquam fœdare catervas,
Aut ad ſæva fori jurgia promptus erit.
Omnia ſed fugiens tranquillæ inimica quieti
Exiget ætatis mollia fila ſuæ;

Digitized by Google

Magnarum ſecurus opum, ſecurus honorum,
  Omnia deſpiciens, quæ leve vulgus amat;
Ille etiam ſummos audax contemnere reges,
  Præque ſua miſeros conditione putans.
Caſtra juvent alios, bellique inamabile murmur,
  Miſſaque non ſiccæ corpora multa neci;
Queis rapiat primæ teneros lanuginis annos,
  Acceleretque ſuum Parca ſevera diem.
Gaudeat hic miſeros inter clamare clientes,
  Et pavidos duro terreat ore reos.
Ille adeat terras alio ſub ſole calentes,
  Littoraque inſtructa plurima claſſe legat:
Seu ferat Herculeas animus ſpectare columnas,
  Seu ferat annoſos ire ad Hyperboreos.
Durus, qui fragili vitam committere ligno
  Audet, & ignotas æquoris ire vias;
Nec timet inverſo decumanos marmore fluctus,
  Securuſque animi ſquamea monſtra videt.
Non ſic divini mitiſſima pectora vates,
  Æthereo quorum flamine corda calent:
Otia ſectantur ſed enim, tacitoſque receſſus,
  Et ſua neglectis urbibus arva colunt;
Splendidaque & multo ſpectanda palatia luxu
  Contemnunt, humiles anteferuntque caſas.
Illic & ſiccant generoſo plena Lyæo
  Pocula Biſtonia frigidiora nive;
Et ſi neſcio quid, ſeu vultu ancilla ſereno,
  Seu non informis villica pollicita eſt,
Protinus ut capta reduces ex urbe triumphant.
  O! hominum felix terque quaterque genus!

Digitized by Google

A te, ſi qua fides, non aliunde venit.
Tu tamen, heu! tanquam glacie circumdata pectus,
Edurè noſtras reſpuis uſque preces.
Eſſe quid hoc dicam? neque enim potis eſt in eodem
Cum ſummo ſummus frigore ineſſe calor.
Scilicet & quæ nos fieri non poſſe putamus,
Cum libet, & quoties, perficit unus Amor.
Is tibi cor mixto circumdedit igne, geluque,
Quæ poſſent ferri ſingula, juncta necant.
O! igitur glacies quovis ardentior igni,
O! ignis quavis frigidior glacie!
Aut ne me perdant tua frigora, mitius ure:
Aut ne flamma, gelu projice, Diva, tuum.

ELEGIA X.

AD F. VERUM LOMENIUM.

HEI mihi, cur genio vis me pugnare, Lomeni,
Naturæque jubes vertere jura meæ?
Cur-ve parum gratas impellis durus ad artes,
Muſica cui ſolum ſacra placere vides?
Nam nec agris miles fieri, nec idoneus armis,
Cui ſemel arriſit ruſtica vita, poteſt;
Nec ſi quem placido naſcentem lumine Clio
Viderit, admota contigeritque manu,
Aut bonus hoſtiles unquam fœdare catervas,
Aut ad ſæva fori jurgia promptus erit.
Omnia ſed fugiens tranquillæ inimica quieti
Exiget ætatis mollia fila ſuæ;

Digitized by Google

Magnarum ſecurus opum, ſecurus honorum,
Omnia deſpiciens, quæ leve vulgus amat;
Ille etiam ſummos audax contemnere reges,
Præque ſua miſeros conditione putans.
Caſtra juvent alios, bellique inamabile murmur,
Miſſaque non ſiccæ corpora multa neci;
Queis rapiat primæ teneros lanuginis annos,
Acceleretque ſuum Parca ſevera diem.
Gaudeat hic miſeros inter clamare clientes,
Et pavidos duro terreat ore reos.
Ille adeat terras alio ſub ſole calentes,
Littoraque inſtructa plurima claſſe legat:
Seu ferat Herculeas animus ſpectare columnas,
Seu ferat annoſos ire ad Hyperboreos.
Durus, qui fragili vitam committere ligno
Audet, & ignotas æquoris ire vias;
Nec timet inverſo decumanos marmore fluctus,
Securuſque animi ſquamea monſtra videt.
Non ſic divini mitiſſima pectora vates,
Æthereo quorum flamine corda calent:
Otia ſectantur ſed enim, tacitoſque receſſus,
Et ſua neglectis urbibus arva colunt;
Splendidaque & multo ſpectanda palatia luxu
Contemnunt, humiles anteferuntque caſas.
Illic & ſiccant generoſo plena Lyæo
Pocula Biſtonia frigidiora nive;
Et ſi neſcio quid, ſeu vultu ancilla ſereno,
Seu non informis villica pollicita eſt,
Protinus ut capta reduces ex urbe triumphant.
O! hominum felix terque quaterque genus!

Sic ego ſim, liceatque mihi, mea Margari, tecum
Non alia vitam ducere ſorte meam.
At tu, quantum in te eſt, aliò nos ducere tentas,
Aſtrææque ſequi numina, Vere, jubes.
Et, quid, ais, quæſo, molli tibi carmine quondam
Proderit aut homines, aut ceciniſſe Deos?
Scilicet ut, toti fueris cum fabula vulgo,
Cumque erit in vultu plurima ruga tuo:
Fortiter eſurias, ut te mala cogat egeſtas
Multa pati, forti non patienda viro;
Sectari menſas, blande appellare potentes,
Tollere mentitis laudibus aſtra ſuper.
Quod niſi deſiperes, poteras in luce forenſi
Verſari, & laudem quærere, opeſque tibi.
Excute decepta blandum de mente furorem,
Qui tibi, nî caveas, pernicioſus erit.
Advertit tardas qui recta monentibus aures,
Exitium demens fabricat ipſe ſibi.
Ergo ego ut hirſuti verboſa volumina Baldi
Ut diſcam leges, Juſtiniane, tuas?
Dediſcam teneri modulamina blanda Properti,
Dediſcam numeros, culte Tibulle, tuos!
Ah! peream prius, & ſævo me fulmine tactum
Trudat in obſcuras Jupiter ipſe domos.
Quam melius dulces dominæ in complexibus annos
Ponere, & in caro ſæpe jacere ſinu!
Diſpeream, ſi quicquid opum, ſi quicquid honorum eſt,
A genere hoc vitæ me revocare poteſt.

ELEGIARUM FINIS.

Digitized by Google

AD P. RUFUM DRUIDAM

CONSILIARIUM REGIUM

SATYRARUM LIBELLUS.

SATYRA PRIMA

JAMDUDUM tumido mihi bilis in hepate fervet,
Et rumpi metuo, niſi te, Auruncane, ſecutus,
Inficiam tenues mordaci carmine chartas.
Tune auſis ſatyram conſcribere, tot tibi rerum
Conſcius, ut ſatyræ poſſis ſatis eſſe vel unus?
Quidni autem? nunquid par eſt audacia Balbo,
Balbo, Stentorea Chriſtum qui voce profeſſus,
Deinde domi cevet, tremulum criſſante Lycinna?
Et tamen hunc torvis oculis, & fronte ſevera,
Flammatiſque genis, atque horrifico ululatu,
Dum docet, & jactat fatuæ ſua dogmata turbæ,
In mores clamare malos ſi videris olim,
Eſſe putes ſupero demiſſum ex limine Paulum.
O! mihi ſi effoſſa liceat ſcrobe dicere, quod mox
Efferat in vulgum foliis vocalibus arbor,
Quænam ego, vel potius quæ non ego crimina dicam,
Concitus? optari ſed enim quia talia poſſunt,
Non etiam fieri; dicam tibi, Rufe, ſed uni
(Σοὶ γὰρ ῥητά λέγειν, ϰ̀ ὅμως ἄῤῥητα licebit,*)
Quæ mihi ſive furor, ſive hæc ſuggeſſerit ira.
Nam quis enim eſt adeo patiens (niſi forte Torannus

* *Namque referre tibi dicenda, tacenda,* licebit.

Digitized by Google

Deprenſis ſolitus blandiri in conjuge mœchis;
Et piperis multo ſaturas offerre placentas,
Dum refugit rixas, vitandaque jurgia cenſet)
Quiſnam inquam eſt uſquam, qui ſi ſecli ſemel hujus
Vividius paulo faciem conſideret, ira
Abſtineat? cum jam oppreſſo virtutis honore,
Regnet in humanis vitiorum infamia rebus.
Improba quos ludi fecit fortuna choragos,
Viſceribus reliquorum, & ſanguine plebis aluntur:
Præficiuntque ſuis ſævi rationibus, haud quos
Longa fides vitæ, vel conſtans fama probarit,
Verum aquilas & vulturios, qui rodere norint
Ad vivum, atque unum ex membris augere lienem.
Ringitur interea populus miſer, & prece multa,
Nequicquam ſurdas Divorum verberat aures.
Audiſne hæc inquam, magni pater Herculis? audis?
Audiſne, an dormis, an nectaris ebrius hauſtu,
Exerces poſitis geniala tempora curis?
Non aliter noſtri. Similes fortaſſe tueris.
Hæc aliquis, ſacro cernens qui ſulphure quercus
Nil meritas, non monſtra illa exitioſa, feriri,
In rabiem verſus, furiiſque agitatus amaris,
Inſequitur veteris non ſanum dogma Lucreti.
Sic alia ex aliis incommoda. Quomodo enim plebs
Ipſa colat Divos, cum vos, qui fulmine bruto
Stringitis in veſtras auſos mutire tiaras,
Conſpiciat Divis ipſique oppedere Chriſto?
Anne libet mecum rationum evolvere libros?
Centum lenoni ſeſtertia, mille Corinnæ.
Hui! mille infami ſcortillo? deſine, pulchra eſt,

Digitized by Google

t bene ſub Domino lumbos vibrare perita :
uinetiam feſſus ſi quando elanguit, ipſa
ſilit, & blande ſuper illum palpitat. Id tu
uanti eſſe, aut potius quanti non eſſe putabis ?
Perge age. In accipitres triginta expenſa, caneſque:
Hos domini potius paſci decuiſſet omaſo)
ripuit fallax plus millibus alea binis ;
nguenta, exoticique tulerunt cætera odores,
artoreſque, coquique, & rari opſonia luxûs.
Interea quantum in viduas, quantum in peregrinos ?
uotnam inopes pavit Domini quadra? quot ſtudioſos?
Inſcius eſt morum, quiſquis nunc talia quærit.
æc fuerant ſub rege Numa, ſub conſule Bruto.
unc alia eſt ætas. Nugalibus hiſce relictis,
urant magnanimi ventrem, caudamque nepotes.
ec gratus quiſquam eſt, niſi cui perfricta pudorem
rons omnem abſtulerit, ſic ut probet omnia, ſitque
t bene ructanti poſt cœnam applaudere porco,
t bene pedenti blandum arridere paratus.
Sed ſatis eſt. Si forte furor Phœbeius olim
Ientem, Rufe, meam ſimili concuſſerit œſtro,
ilem aliis, uni riſum tibi, Rufe, movebo.

M. A. MURETI

AD DANIELEM SCHLEICHERUM

Ulmenſem, adoleſcentem omnibus & fortunæ, & corporis, & animi bonis cumulatiſſimum.

SATYRA II.

RUMPE Lycambæa numeros de cæde madentes
Muſa ferox, rabieque nova flammata malignos
Fige hominum mores, damnataque ſecula culpæ.
At tua quis poterit patienti volvere vultu
Scripta? quotus tandem feret hæc convicia lector?
Men' curare putas, mea quis laudetve, legatve,
Rideat aut damnet? quaſi ſint hæc juſta laboris
Præmia, poſt centum vigilatas ordine noctes,
Et pene eroſos repetitis morſibus ungues,
Inſani & ſemper deterrima quæque probantis
Plus aliis populi ſuffragia cæca tuliſſe.
Tu modo quem nondum ſecli contagio vertit,
Tu legito hæc, DANIEL, primæque a flore juventæ
Diſce quot humana lateant ſub imagine peſtes.
Hunccine tu cui læna humeros Hyacinthina velat
Lucentem hinc illinc auro, gemmiſque ſuperbum,
Vinoſa facie, vaſti qui pondere ventris
Sudantis mulæ cedentia terga fatigat,
Aſpicis? hic primo abjecta de ſtirpe creatus,
Viliſque, ignotuſque, & terræ denique proles,

Non

Digitized by Google

Non aut virtute, ingenuis aut artibus (illas
Ipſe ſua ex æquo cum mula novit) at aſtu
Senſim ſubducens fatuis fundoſque, lareſque,
Tandem huc pervenit: rabidi nunc more leonis
Ventrem adipe inſontum & miſerorum ſanguine farcit.
Aſpice & hunc qui diducto, ceu ſimia, rictu
Putris gingivæ viduata ſedilia pandit.
Quotidie hunc videas nitidi ſub primula ſolis
Lumina, cum trepidus poſtico limine furtim
Emittit tota vexatam nocte puellam,
Repere paulatim per delubra omnia, & illic
Obſtipo capite, & trepidantibus uſque labellis
Nunc has, nunc illas provolvi cernuum ad aras.
Hinc rediens non ille inopes fraudare recuſet,
Non delatori perjuria vendere Cordo,
Non facere omnia, quæ vel dicere vix ſit honeſtum.
Vim putat hanc demens eſſe in luſtralibus undis,
Perque globos precibus diſtracta mente volutis
Ut ſi vel cani jugulum patris enſe reſolvat,
Dummodo mortales oculos effugerit, ipſe
Conſcia ſecurus contemnere lumina poſſit.
O! ſimulatores, tetrum pecus, ut mihi ſæpe
Bile jecur vitrea diffinditur iſta tuenti.
Creditis eſſe Deum cœlo qui talia curet?
Exprimite hoc factis. Non creditis? abjicite ergo
Hunc fucum, & vultu ruite in ſcelus omne retecto.
Hoc ego larvarum genus exitialiter odi.
Sed quid ego enumerans nequicquam ſingula conor?
Res caret illa modo, genera ipſa evolvere longum eſt.
Stupra, doli, fraudes, perjuria, furta, rapinæ,

Digitized by Google

Crimina erant olim : noſtro ſunt tempore luſus,
Quos pueri teneris meditantur ab unguibus, & q
Ipſe docet natos genitor, materque puellas.
Venimus ad ſummum : ruptis & prorſus habenis
Oppreſſa rerum potitur virtute libido.

SATYRARUM FINIS.

Digitized by Google

EPIGRAMMATA.

DIVO JULIO CÆSARI SCALIGERO PATRI MEO.

In tenues numeros, primi monumenta furoris,
  Quo mea non ſimplex corda ſubegit Amor,
Dirige ſiderei radiantia lumina vultûs,
  Cæſar, & hæc nati ludicra noſce tui.
Neu pigeat ſtudiis aliquot gravioribus horas
  Subtrahere, interdum deſerere illa leve eſt.
Nempe ducum haud quiſquam, licet imperterrita geſtet
  Corda ferox, gladios ſemper & arma terit.
Qui populos juſſiſque regunt, nutuque coërcent,
  Et retinent forti regia ſceptra manu;
Non renuunt animos rerum moderamine preſſos
  Interdum teneris exhilarare jocis.
Sæpe etiam vaſti mens unica Jupiter orbis,
  Flectere ſe a magnis ad leviora ſolet.
Inſequere exemplum regumque, ducumque, Deique,
  Dux olim & princeps, nunc mihi pene Deus.

ANTONIO GOVEANO.

Summe poëtarum, quos ſecula noſtra tulerunt,
  Cui ſacra Caſtalii fluminis unda ſubeſt,
Accipe non tetrica juvenilia carmina fronte,
  A domino limam juſſa ſubire tuam:
Ut tibi ſi (quod vix auſim ſperare) probentur,

Digitized by Google

Olim ſe lucem poſſe videre putent;
Sin minus, æterna damnentur ut omnia nocte,
Aſpectu tanti facta beata viri.

AD NOCTEM,

Sidera & Auroram de Dominæ pulchritudine.

Nox furva, atque alis horrenda nigrantibus, & vos
Fixa meæ vultu ſæpius aſtra Deæ,
Audite hæc: Tu primum Erebi centumplicis uxor,
Quæ veniens uno cuncta colore notas.
Non pudor eſt, ubi flammeolo te Margaris ore
Pellit, & invitum cogit adeſſe diem?
Vos quoque lucentes Æthræ radiantis ocelli,
Quorum alta aſſiduo templa canore ſonant,
Non pudor eſt, oculis ubi ſcintillantibus illa
Cedere tot veſtras lampadas una jubet?
Et tu Dardanii conjux formoſa mariti,
Tangere ſol cujus nil niſi terga poteſt,
Nunquid ubi aſpexti quàm te procul illa relinquat,
Nativus roſeo creſcit in ore rubor?
Non, puto: quin illi ultro omnes conceditis, in qua
Miratur vires Jupiter ipſe ſuas.

VENTIS FURENTIBUS.

Æolidæ celeres, dominæ Junonis alumni,
Cærula velivoli quos timet unda maris,
Altifremi, alipedes, cœli, terræque tetrarchæ,
Dirigite in pectus flamina veſtra meum;

Digitized by Google

Ut mea vel veſtro pereant incendia flatu,
Vel me etiam veſtris viribus aucta necent.

AD ANIMUM SUUM.

Quonam abiit mî animus? num quò ſolet? auguror illuc
Pectore ſe dominæ condidit ille meæ.
Siccine me tandem miſerum, fugitive, relinquis?
Siccine, deſertor, caſtra inimica petis?
O! ſaltem flammata tuo vel ab igne caleſcat,
Frigore vel flammas enecet ipſa tuas.

MARGARIDI.

Dicere dum conor noſtros tibi, vita, dolores,
Ah! miſero ex ipſis verba labris abeunt.
Dum tegere, & clauſo meditor ſub corde tenere,
Ingeminat vires abdita flamma ſuas.
Quid faciam? ex æquo magnum diſcrimen utrinque eſt,
Sive loqui conor, ſive tacere velim.
O! quæ ſola meo jamdudum in pectore regnas,
Tute tibi caſus, Diva, referto meos.

SOMNIUM.

Euge, an te teneo, mea lux, an ſomnia demens
Fingo mihi? certe, lux mea, te teneo.
Somnia non hæc ſunt. Oculis nonne intuor hiſce
Flammeoloſque oculos, purpureaſque genas,
Lacteolaſque manus, & eburnæ frontis honorem,
Collaque non tacta candidiora nive?
Dulcia collatis ineamus prœlia ſignis,

Digitized by Google

Dum tuta alternis luſibus hora datur.
Me miſerum ! nuſquam es, fallax me luſit imago.
O ! dolor, o ! animi gaudia vana mei !
Quid queror ? exacta ſi rem ratione putemus,
Umbra eſt in miſero quicquid amore boni eſt.

MARGARIDI.

Dum te, Margari, baſiare conor,
Labris protinus invident ocelli,
Aſpectùque tui carere nolunt.
Quod ſi contuitu beare ocellos
Tentarim, labra protinus repugnant,
Quæ ad ſeſe iſte tuus vocat, trahitque
Candor purpureo natans in ore,
Ut ferrum Herculeus trahit lapillus.
O vis eximiæ ſuperba formæ,
Quæ me vel mihi diffidere cogit!

EIDEM.

Sic age, pugnando teneri paſcuntur amores,
Invade inſanis unguibus ora mihi:
Et turba noſtros audax, laceraque capillos,
Atque interjecta gaudia veſte nega.
Illa etenim, o ! quanto magis eſt perfecta voluptas,
Quæ cupiente quidem, ſed renuente venit!

EIDEM.

Ludamus, mea Margari, & jocemur:
Nos & cum roſeum diem reducet,

Et cum ſe Heſperiis recondet undis,
Deprendat radiatus ora Phœbus
Ludentes ſimul, & ſimul jocantes.
Appellabo ego te meam columbam,
Tu me, blandula, paſſerem vocabis.
Cum dicam tibi percitus furore,
Da mî baſiolum unicum columba:
Tu collo injiciens meo lacertos,
Porges mî oſcula delicata mille,
Et mille altera, & altera uſque mille;
Vibrans improbulam ſubinde linguam, &
Os morſu tenero meum laceſſens.
Dehinc dices mihi, mi tenelle paſſer,
An non ipſa tibi una ſum columba?
Tua una ex animo columbulilla?
Tuum mel, tua ſuavitas, tuum cor?
En me (nam tua ſum) ſuaviare,
En hæc ubera jam retecta cerne,
Quæ per te mihi primulum tumeſcunt;
Objectam & ſibi faſciam repellunt.
Quo tu, quo modo, delicate, pergis?
Quo trudis digitos nimis ſalaces?
Sic nos, ſic age, dum viremus ambo,
Dum res ad Veneris vale.nus ambo,
Ne fruſtra melior teratur ætas,
Ludamus mea Margari, & jocemur.
Tergo debilis imminet ſenectus,
Quæ cum venerit, ah! dolor, columba,
Nos tuſſis mala, viriumque languor
Pro ludiſque jociſque conſequentur.

Digitized by Google

AD PAULAM.

Baſia quod libas cupidis luctantia linguis,
Res ſatis ardori non facit iſta meo.
Quod mea colla tenens blandis reſupina lacertis,
Me dicis vitam, deliciaſque tuas:
Hoc nihil eſt. Dulci Veneris de nectare, Paula,
Aut nulla, aut quinta da mihi parte frui.

AB AMICA PROCUL POSITUS,
ob idque noctu quieſcere non valens, mortem precatur.

Jam tacitis cœlo volvuntur tractibus ignes,
Altaque rorantes Delia flectit equos.
Jam pecudumq;,atque alituum genus omne,ferarumq;
Et quotquot liquido marmore monſtra ſilent,
Somnus habet, dubioque natans per inane volatu,
Membra papavereis illinit unguinibus.
Te ſolùm, Murete, fugit: tibi cura recurſans
Ire jubet lento tempora mœſta gradu.
O! cœlum, o! certis agitati legibus orbes,
Cuilibet ex ortu qui ſua fata datis!
Extinctum toties ſit fas occumbere. Jam ſum
Non ego, ſed tantum corporis umbra mei.

IN VENEREM.

Si Venus, ut mendax docuerunt turba Poëtæ,
De mediis vere nata putatur aquis:
Quî fieri potis eſt, mediis ut fluctibus orta

Digitized by Google

Aſſiduo noſtrum torreat igne jecur ?
O! dolor! o! quid jam miſeri ſperetis amantes !
E media vobis naſcitur ignis aqua.

AD MARGARIN.

Quem tu cumque ſemel blando aſpectaris ocello,
Ni ſubita exiliat lætitia, lapis eſt.
Cui vero hæc etiam dederis libanda labella,
Hunc ego felicem terque quaterque voco.
At ſi quem complexa tuo dignare cubili,
Is non jam felix, Margari, ſed Deus eſt.

LUSUS CUM AMICA.

Pande oculos, pande ſtellatæ frontis honorem,
Queis doleat viſis, invideatque Venus.
Pande agedum laſciva. Quid, o! quidnam occulis illud,
Quo mea verſantur corda, ſupercilium ?
Saltem ebur hoc manuum interea ſpectare licebit :
Ah! etiamne manus ? ſæva, etiamne manus ?
En, jam igitur poſthac nihil amplius ipſe videbo :
Claudo etiam ipſe meos, en tibi, claudo meos.
Jam formoſe dies, jam lux formoſa valete ;
Nam vos, nec dominam cernere ſupplicium eſt.
Audiit, inque ſinum jecit mea Diva meum ſe,
Recluſitque oculos, applicito ore, meos.

EIDEM.

Cum pluit, & radios Phœbus cum ſubtrahit orbi,
Tum ſane mœſtus quilibet eſſe ſolet.

Ne mirere igitur, ſi ſim, mea Margari, triſtis:
Ecce pluo lacrymas, tu mihi Phœbus abes.

AD GALLAM.

Novi pro verbis ego ſola rependere verba,
Et pro blanditiis reddere blanditias.
Oſcula ſi qua dabit, ſola auferet oſcula de me:
Pro ſolis nutus nutibus eripiet.
Hæc aliquid præter tibi me ſi vis dare, fas eſt
Hæc aliquid præter, te mihi, Galla, dare.

JULIO CÆSARI SCALIGERO.

Scaliger Aoniæ decus immortale cohortis,
Qui, quæ alios ornant ſingula, ſolus habes:
Altera Veronæ, major ſed fama priori,
Cui Clarii munus ceſſit utrumque Dei;
Cui tot ſe debent animarum millia, per quem
Sæpius eſt Stygii cymba quieta ſenis;
Quòd tantum auguſta de majeſtate remiſti,
Ut placido verſus videris ore meos,
Præmia quæ tandem tibi digna reponere poſſim?
Devoveam ſi me, vix ſatis eſſe putem.
Tune meos verſus voce ut laudaveris illa,
Quam ſtupet, & qua nil grandius orbis habet!
Præmia quænam igitur reddam tibi digna? ſed erro:
Præmia non debent reddier ulla Deis.
Anne tuas igitur deſcribam carmine laudes?
(Laudari humana numina voce volunt)
Deficient humeri tanto ſub pondere, nec jam

Tuta erit in tanto noſtra carina mari.
Quidnam igitur? taceo. Satis hunc dixiſſe putandum eſt,
Se quicumque ſatis dicere poſſe negat.

IN EUNDEM.

Dic Dea, quod poſſim ſcripturus fingere nomen,
Scaligeri quod par laudibus eſſe queat?
Cur petis imprudens, quod habes? dic, Scaliger: illud
Omnia virtutum nomina nomen habet.

IN EUNDEM.

Dicite mî, Muſæ, cultiſſima numina nobis,
Quonam Scaligeri paſcitis ora cibo?
Sic ego, ſic Muſæ: Quàm te ſententia fallit?
Nectare quo potius nos alat ipſe, roga.

AD PHYLLIDEM.

Cum ducenda mihi ſine te ſunt tempora, Phylli,
Longior eſt anno menſis, & hora die.
At tecum ſi quando datur mihi vivere, rurſus
Eſſe diem credo, qui modo menſis erat.
Te ſine vel Tauri cum luſtrat cornua Titan,
Semper adeſſe mihi mœſta videtur hyems.
At tecum medio gelidæ ſub tempore brumæ,
Ire tamen veris tempora læta puto.
Te ſine nox mihi fit, medio cum Phœbus in axe eſt:
At tecum in media fit mihi nocte dies.
Quantum in me miſerum juris tibi fata dedêre!
Quæ mihi vel cœli vertere jura potes.

Digitized by Google

IN CAROLUM CALIANTHEUM.

Philoſophum te dicis, & hoc te nomine jactas,
Præ te omnes reliquos ut nihil eſſe putes:
Nec tamen aut rerum cauſas & pondera noſti,
Aut aliud, nomen quo mereare ſophi.
Una tuis titulis addenda eſt litera, Carle:
Nec mihi philoſophus, ſed *philoſomphus* (1) eris.

RODOLPHO CONDOMIO,

A QUO AD CŒNAM INVITATUS FUERAT.

Ad cœnam tibi me quoniam condicere cogis,
(Si modo quis cogi, quo cupit ipſe, poteſt)
Accipier qua me cupiam ratione, Rodolphe,
Cognoſce, & cœnæ quid caput eſſe putem.
Non me præcipue vel avis Junonia ducit,
Vel quæ de Scythico flumine nomen habet.
Iſta decent reges: nobis cœnantibus unâ,
Suſtineat parcas ſobria menſa dapes.
Sit vini tibi cura prior: niſi nobile vinum eſt,
Et jocus a menſis, & lepor omnis abeſt.
Tunc cibus invito lenteſcens creſcit in ore,
Et levius ferre eſt, quam recreare ſitim.
Sin contra adfuerit generoſi copia Bacchi,
Vix capit undantes vel domus ipſa jocos.
Tunc & convivæ per mutua pocula certant:
Hic annos dominæ condit, at ille ſuos;
Et veteres memorant flammas, & carmina dicunt:
Et laudant cœnæ concelebrantque patrem.

(1) *Inanium amator.*

Quare agedum memori primum hoc ſub mente teneto:
Si tibi cura mei, ſit tibi cura meri.

IN LYGDUM.

Ἱππεύειν (1) Lygdus teneris dum diſcit ab annis,
Eſt ſimul & Chiron factus, & Eurytion.

IN EUNDEM.

Lygdus blandulus eſt, venuſtulusque,
Formoſusque ſupra modum, & benignus
Non æris modo, ſed ſui & ſuorum:
His multos parat artibus ſodales.
Unum eſt quod nequit approbare multis
Naſutis nimium, dicacibusque,
Mureto, Crucioque, Memmioque,
Quod ſe frugibus unicus repertis,
Multâ paſcere glande perſeverat.

DE PORNA AD L. MEMMIUM.

Porna ſuis tantum, Memmi, ſubſternit amicis.
Verum: at nulli unquam Porna inimica fuit.

IN EANDEM,

Quæ ſe etiam famulis ſubigendam præbebat, cum tamen mire arrogans eſſet.

Quàm malus eſt, quiſquis dicit te, Porna, ſuperbam?
Quid? tu te pueris ſubjicis ipſa tuis.

(1) *Equitare.*

Digitized by Google

F. GRATO LOMENIO.

Dicere te tactum nullius amore puellæ,
 Laſcivique ſoles ſpernere tela Dei.
Quid ſibi, Grate, volunt igitur, quæ ſæpe notavi,
 Tot data ab arguto ſigna ſupercilio?
Quid riſus, quid verba, manuſque oculique loquaces,
 Et quæ ſummoto baſia teſte capis?
Fingo, inquis. Celare tuum cur niteris ignem?
 Quiſquis tam belle talia fingit, amat.

GULIELMO MONBASIO EPISCOPO LECTORENSI.

Quòd tam cenſeris generoſo ſanguine, Præſul,
 Quódque es tam multis clarus imaginibus,
Illa quidem certe laus eſt non infima, ſed quæ
 Tota ad majores ſit referenda tuos.
Quòd ſuperas opibus multos, quòd honoribus anteis,
 Fortunæ hæc dici munera poſſe vides.
Quòd ſis auguſto ſpectandus corpore, forſan
 Natura hanc dotem vindicet ipſa ſibi.
At quòd tam multis fulges virtutibus, atque
 Eximiis rari dotibus ingenii,
Quódque tuis lucem præferre nepotibus illam
 Quam tibi majores ante tulere, potes:
Hæc demum eſt tua laus, hæc, Præſul, laus tua demum;
 Una hæc te ſuperis inſerit ordinibus.

Digitized by Google

IN PONTICUM.

Sæpius hinc illinc video tibi, Pontice, mitti
Carmina judicio ſubjicienda tuo,
Idque a divitibus: neque enim tua, Pontice, quiſquam
Emendaturus limina pauper adit.
Quid mirum? neque enim poſſit dare munera pauper:
Nec te, quæ veniunt carmina ſola, juvant.
Mittit at hic gemmas, alius cum verſibus aurum,
Ut conſtent operæ præmia digna tuæ.
Tu, qui a muneribus caperis, mala carmina laudans,
Altera mentitâ retia laude paras.
Quid correctoris falſo te nomine jactas?
Id non corrigere eſt, Pontice, colligere eſt.

IN EUNDEM.

Aurea non vanâ jactas tua carmina voce:
Purgari ſolo nempe quòd igne queunt.

FRANCISCO MONCAUDO BURDIGALENSI.

Moncaude optime, cui novem ſorores
Sertis tempora laureis coronant,
Quem vatem geminus ſuum Cupido,
Quem vatem genitrix ſuum Dione,
Spretis omnibus, unicum ſalutant:
Illos verſiculos perelegantes,
Illos verſiculos perimpudicos,
Nec caſtos nimis, & nimis venuſtos,

Digitized by Google

Molles, improbulos, libidinoſos;
Effrontes, pathicos, Catullianos,
Per ludum mihi quos heri dediſti,
Jam, credo hercule, millies relegi.

Ut ſunt molliculi! ut fluunt decenter!
Ut ſpirant Venerem undequaque totam!
Ut vincunt Sybariticos poëtas!
Ut, quod pruriat, incitare poſſunt,
Non dico ſenibus modo his pilosis,
Verum decrepitiſque, mortuiſque,
Si quicquam pote mortuos movere eſt!

Atqui dicere te tamen ſolebas
Ludorum, & Cypriæ rudem palæſtræ,
Meque illa imbueras opinione,
Nil te ut virgineum magis putarem:
Quin & verſibus, impudens, in ipſis
Semper diſſimulas, adhucque ſumis
Tyronis tibi nomen, Imperator.

Ohe deſine: ten' ego ut pudicum
Poſthac arbitrer, ampliuſve fallar?
Imo mehercule virginemque Cyprin,
Caſtratumque putem prius Priapum.

DIVINO INGENIO CÆS. SCALIGERI.

Eminus ætherii collucens luminis aura,
Quæ radios toto disjicis orbe tuos,
Certaque cognati retinens commercia cœli,
Tunc etiam cum te deprimis, aſtra vides:

Digitized by Google

Hæc tibi pauca tui mirator maximus offert
Carmina, ab indocta non bene ducta manu:
Si liceat, tibi templa ſimul poſiturus & aras,
Uſque adeo numen ſuſpicit ille tuum.
At tibi pro templo cœlum eſt: humus, ara: nec ipſe
Jam renuit, quin ſit victima ſacra tibi.

PRO CAROLO MONTAUSERIO AD MARGARITAM REGINAM NAVARRÆ.

Mens regni, ſexûs lumen, ſtupor orbis, in uno
Munera quæ divûm corpore cuncta tenes,
Conſpicere in qua una veteres licet heroinas,
Et quicquid veteri laudis in orbe fuit:
Delicium cœli, terræ decus, accipe, quæ ſe
Advolvunt pedibus carmina pauca tuis.
Nam quamvis tibi nulla dari, niſi magna, decebat;
Parva tamen lætâ ſumere fronte ſoles.
Illa tibi eſt cum Dîs communis, ut omnia, virtus,
Vili etiam placant quos data thura manu.
Fors olim majora tibi, & meliora dicabo,
Si modo me ſolita, Diva, fovebis ope.
Te ſine nil, ſed multa tuo cum numine poſſum:
Nititur auxilio ſpes mihi tota tuo.
Ipſe quidem prorſus nihil hoc ſum tempore: ſed tu
Ex nihilo me aliquid reddere, Diva, potes.

CÆS. SCALIGERO.

Cum mea tantopere placeant tibi carmina, Cæſar,
Vel ſi non bona ſint, jam bona facta puto.

Digitized by Google

F. GRATO LOMENIO.

Quiſquis te Gratum primus, Franciſce, vocavit,
Omen, non nomen tradidit ille tibi.

IN QUENDAM.

Mulciber inceſſu, capite Æolus, ore Lyæus;
Tres uno Divos corpore ſolus habes.

IN RUFINUM.

Inter Latinos forte ſicubi aſſedit
Pulchellus iſte, fuſculo ore, Rufinus;
Qui ſericatus gaudet ire per vicos,
Tria verba molli Græca voce τραυλίζειν. (1)
Græcè ſed adſit eruditior quiſquam:
Silentur illa; proferuntur Hebræa,
Quæ lividis præmanſa dentibus latrans,
Nil præ ſe apellas jurat eſſe Rabbinos,
Suæque ita objicit imperitiæ velum.
At ſcis, apud nos aſtus iſte quid proſit,
Doctor trilinguis, architecte verborum?
Scis, inquam, apud nos aſtus iſte quid proſit,
Qui vera fucis judicamus abſterſis?
Dum vis videri habere tres ſimul linguas,
Unaque tentas anteire ſerpentes,
Quòd credimus te haud aliud eſſe, quam linguam.

(1) *Balbutire.*

Digitized by Google

IN NOALLIUM.

Nil immundius eſt tuis libellis,
Nil obſcœnius, impudiciuſque:
Et vis te tamen ut putemus eſſe
Numa, Fabritioque ſanctiorem.
At ſententia noſtra ea eſt, Noalli;
Quiſquis verſibus exprimit Catullum,
Raro moribus exprimit Catonem.

IN VIRGILIUM.

VIRGILIUS IPSE LOQUITUR.

Cor Phœbi, Phœbus Latii, vatum pater, & rex,
Fons ex quo Aoniæ proſilit humor aquæ,
Par volui primùm, major ſed factus Homero,
In Græcos Romæ jura ſecunda dedi:
Ad cœlos tandem raptus, Jove judice, dicor
Nectarea illorum vincere voce ſonos.

IN LYGDUM.

Quòd ſis tam facilis, quòd ſis tam, Lygde, benignus,
Quam nova nupta ſuo cum parat ire viro,
Hoc cave te credas nobiſve, aliiſve moleſtum
Nomine: quin etiam nos magis iſta juvant.
Diſplicet hoc, quod non tantummodo, Lygde, benignus
Verum etiam, ut fama eſt, officioſus homo es.

Digitized by Google

IN APOLLINEM.

Cum timidam cupidus Daphnem ſequeretur Apollo,
Currentem celeri per juga ſumma pede:
« IMPROBE, narratur triſtis dixiſſe, Cupido,
Incaluit pectus cujus ab igne meum,
Aut concede tuas, quibus iſtam perſequar, alas,
Aut tua de noſtro pectore tela move ».

IN PONTICUM.

Sæpe, velut ridens, Epicuri dogmata laudas,
Et, quaſi per luſum, rejicienda negas:
Sæpe velut ridens, dicis tibi vera videri;
Quin etiam vultus ſigna probantis habet.
Sic etiam vivis, quaſi non alienus ab illo,
Omnia quæ juras te ſimulare tamen.
Tolle tuas artes: nihil hæc mendacia proſunt.
QUI ſemper ſimulat, Pontice, non ſimulat.

NEQUE AVAROS,

NEQUE PRODIGOS PROBANDOS ESSE.

Improba quem partis cumulandi plura libido
Detinet, & juris non ſinit eſſe ſui,
Quem vexant damnoſa modis inſomnia miris,
Dum ſua ſub tacita pondera nocte putat,
Qui queritur tardas non ſæpius ire Calendas,
Quique nihil penſi, dummodo quærat, habet,
Omnia præ lucro contemnere jura paratus,

Digitized by Google

Nec mihi, nec cuiquam, credo, placere poteſt.
Sed neque qui ternis decies centena diebus
Fundit, & in ſumptu nil putat eſſe nimis:
Quique etiam noctu, poſita cum luſerit arca,
Non alio ritu tempora lucis agit;
Quem Sol ſi primo locupletem viderit ortu,
Redditus ex Crœſo protinus Irus erit;
Qualis apud Stygiam torquet rimoſa paludem
Vano virgineas urna labore manus.
Quiſnam igitur? qui ſe cauta ſic temperat arte,
Ut medium ſervans, vitet utrumque latus.
Providus, at facilis: parcus ſibi, largus amicis,
Atque etiam largus, cum petit hora, ſibi;
Qui nec opes terra furtim componere, ſed nec
Perdere diſcincti more nepotis amat.

IN GELLIAM.

Quod nimio faciem cultu tibi Gellia quæris,
Et ſuffis multo corpus odore tuum;
Hac ratione mihi credis te poſſe placere,
Conariſque illa me retinere via.
Quare alios, iſto qui delectentur amore:
Perſonata mihi nulla puella placet.

CLAUDIO COLETO CAMPANO.

Cum det Rufa roſas, cum det tibi lilia, Claudi,
Cum det ſerta tibi crine ligata ſuo;
Cum te reſpiciens ſuſpiret pectore ab imo,
Annuat argutis cum tibi luminibus;

Digitized by Google

Denique cum quòvis ſolum te ſola ſequatur,
Conjicere hinc quis non ulteriora queat?

IN ROMANUM.

Cum ſomnus pigris vix dum eſt excuſſus ocellis,
Atque recèns orto pluma relicta die,
Inclamas multo puerum, Romane, boatu,
Ora lavaturas qui tibi portet aquas.
Tunc & gingivas multo ſale ſeſquipedales
Proluis, & guttur terque quaterque tuum.
Eſſe quid hoc dicam, quod cum tam ſæpe lavetur,
Nunquam non tamen eſt ſordida lingua tibi.

F. LACCIO CAIRIECHIO.

Tune meo elabi poſſis de pectore, Lacci,
Aut ego, dum vivam, non meminiſſe tui?
Ante vel iſtius mundi compage ſoluta,
Tellus in antiquum ſit reditura Chaos.
Quin mihi cum Lacheſis ſummos pernexerit annos,
Noſtra ſonum referent nominis oſſa tui.

IN GRANNIUM.

Iambicos ſine lege Grannius facit:
Miraris? ipſe lege Grannius caret.
Fraudem ſuis idem inſerit poëmatis:
Miraris? ipſe fraude ſine facit nihil.
Adeoque ſi quid fraude vacuum unquam facit,
Ut fraudet expectatione alios, facit.

Digitized by Google

JOANNI COSTECAUDO.

Ni quantum pote quiſquam amare quemquam,
Tantum te ipſe amo, Coſtecaude: ni te
Totum non oculis fero jam in ipſis,
Verum in pectore & intimis medullis;
Contingant mihi cuncta, quæ timentur,
Et multo graviora, quam timentur.
Tanto ut ſim ipſe miſerrimus malorum,
Quanto tu unus es optimus bonorum.

JOCOSUM.

Membra ſacerdotes ſi nunc ſua cædere moris
Eſſet, ut in priſca religione fuit,
Crebra minus ferret ſpuriorum examina tellus,
Fraudaret ſociam fœmina rara fidem.
Vera quidem ſunt hæc: ſed ſi lex illa feratur,
Quære alium, quam me, qui tibi ſacra canat.

IN MALOS PRINCIPES.

Jupiter in faciem, propter ſua probra, lupinam
Mutavit regem, Mænalis ora, tuum.
Ille quidem Regum ſolus, mihi credite, non eſt,
De ſe qui dici promereatur idem.

IN CORELLIUM.

Sutor es, & piſtor, lanius, lenoque, coquuſque,
Mercatorque bonus, cauſidicuſque bonus:

Digitized by Google

Te tamen in tota non eſt mendicior urbe,
Nec quem paupertas arctius ægra premat.
Dic agedum, quî fit (nam res eſt mira) Corelli,
Cum tot res facias, rem facere ut nequeas?

IN LYGDUM.

Cur tibi cauta dedit corpus natura puſillum?
Viderat hoc ipſo plus ſatis eſſe mali.

DE MONACHO QUODAM.

Cordigerum abjecto deprendit ſorte cucullo
Hoſpita non ſegnem, nec ſine mente virum,
Cui tota interior (velut omnia plena dolorum)
Serica ſub vili tegmine veſtis erat:
Hoſpita quod mirata: Quid, ô pater optime, nunquid
Veſtis, ait, forti convenit iſta tuæ?
Ille nihil cunctatus: Eho, quidnam vetat? inquit,
Quippe meo ſunt hæc parta labore mihi;
Quoque magis credas (grandi mutone retecto)
Hoc mihi, ait, fuſum talia nere ſolet.

IN CONVIVATOREM NIMIUM PROLIXUM.

Quonam ſcriblitas, quonam iſta ſophiſmata ponis?
Vis bene convivas paſcere? pone famem.

ANNÆ

Digitized by Google

ANNÆ OGERIÆ NEAPOLITANÆ.

Aurea cæſariem, prædulci argentea voce,
Hei mihi! cur duro ferrea corde manes?

JOANNI DELIANO.

Si ſacer ætherio furor excitat igne poëtas,
Eoſdemque aſſidua lampade torret Amor:
Miraris, ſolidos cur nam exhaurire trientes,
Donaque Lenæi ſumere patris ament?
Ante diem geminus miſeros exſtingueret ardor,
Nî daret aſſiduus frigora grata latex.

STEPHANO ALISIO BURDIGALENSI.

Si mea ſe faciles dederint in vota camœnæ,
Ut per plura meum ſecula carmen eat,
Tu pariter mecum memori celebraberis ævo,
Et tibi ſcripta vetus per mea nomen erit.
Sin (ſed enim verbis & pondus & omen abeſto)
Non ſeneant domino longius illa ſuo,
Non tamen idcirco tibi diſplicitura putabam
Hæc magni in te animi pignora parva mei.

MARIO CRUCIO.

Forma ætate perit: vires ætate fatiſcunt:
Caſibus innumeris eripiuntur opes:
Una, Mari, eſt virtus, quam non vis temporis aufert,
Non premit indigno ſors inimica pede.

Digitized by Google

Una ſuos invicta perennibus inſerit aſtris,
Fortunæ imperio liberat una ſuos.
Hanc ſequere. Inſani eſt poſtponere firma caducis,
Veraque, quæ bona ſunt, ſpernere, falſa ſequi.

IN PONTICUM.

Ponticus eximium dum ſeſe ait eſſe poëtam;
Hoc ſolo dici jure poëta poteſt.

IN LAIDEM.

Non toto eſt mulier, quam Laïs, juſtior orbe:
Cur ita? nam rectum ſemper amare ſolet.

IN AVITUM.

Cum ſubigat ſterilem, nihil illi donat Avitus:
Sic fit, ut ille oleum perdat, & illa operam.

IN PONTILIANUM.

Cur tua vix unquam ſint ſalſa epigrammata quæris?
Diluis hæc nimio, Pontiliane, mero.

DE VIRTUTE ET GLORIA.

Virtus, ut ſolidum quiddam eſt, & corpore conſtans:
Æqua ſed eſt umbræ gloria fluxa levi.
Hanc igitur quiſquis neglecta amplectitur illa,
Huic mage quàm corpus, corporis umbra placet.

Digitized by Google

DE LUCII CUJUSDAM MEMORIA.

ſſe aliquam ſi quis memorandi perneget artem,
Hanc qui confirmet, Lucius unus erit:
lle etenim nuper curaque adjutus & arte,
Tres verſus totidem noctibus edidicit.

IN PAULUM.

lecto ſurgens ad menſam accedere Paulus,
E menſa ad lectum rurſus abire ſolet:
Interea attingit libros, ut vina catelli,
Et queritur ſeſe diſcere poſſe nihil.

FATIS PARENDUM.

Obſequitor fatis: ducent te fata volentem:
Sin minus, invitum te tamen illa trahent.

DE POMPILII NASO.

Pompilio eſt naſus cubitos tres longus, & unum
Latus, & hunc murus cingit utrinque triplex.
Adſunt & turres, Bacchus quas condidit ipſe,
Et minio tinctis uſque rubere dedit.
Huic etiam naſo vis admiranda tributa eſt:
Nam calices ſiccos illius umbra facit.
Imo etiam longè diſtans ſi ſenſerit uſquam,
Ut magnes ferrum, ſic trahit iſte merum.
Nuper eram in menſa, ſitiens potare paratus,
Pompilius clauſas aſtitit ante fores:

Digitized by Google

(Mira canam, ſed vera) merum mihi forte paratum
Attraxit naſo protinus ille ſuo.

IN PAULI NASUM.

Exiguum ſi quis naſum vidiſſe laborat,
Paulum adeat, Paulo ſi modo naſus ineſt:
Non etenim eſt naſus, ſed pars centeſima naſi,
Et quo quis viſo dicere poſſit, ubi eſt?
Talis ineſt naſus muſcis, ſed & his quoque major,
Et melius naſi nomine dignus ineſt.
Quam quæ per radios volitant corpuſcula ſolis,
Majorem naſum vix, puto, Paulus habet.

IN GAURUM.

Effundas verſus una cum luce ducentos;
Forte poëtaſtris annumerandus eras:
Sed cum te eximium jactas tam ſæpe poëtam;
Id quoque quod paulum eſt, incipit eſſe nihil.

IN PAMPHAGUM.

Pamphagus in patulam tam multa ingeſſerat alvum,
Quam poterant denis plus ſatis eſſe viris;
Ecce venit caupo, pretiumque expoſtulat: ille
Ebria terribili lumina more rotans,
Evomit in patinam vinumque, ciboſque receptos,
Atque ait: *En, merces tu tibi habeto tuas.*

Digitized by Google

IN GALLONIUM.

tertit ad octavam Gallonius : inde cubili
  Paulatim aſſurgens languida membra levat.
bjicitur perdix, quam protinus ille calentem
  Devorat : hac nulli ceſſerit arte libens.
pumantis temeti cyathos octove, novemve
  Adjicit, & ſacris ſic operatus, ait :
i, date mî conſtantem animum, mentemque quietam;
  Quam multis vita eſt noſtra referta malis !

SESTIO.

Multa quidem, fateor, confers mihi munera, Seſti,
  Devinctum tibi me nec tamen eſſe reor.
Cur ita ? quod quæ das, triſti dare mente videris :
  Sic ego quæ data ſunt, vendita dona voco.

DE VOLUPTATE, ET RATIONE.

Cum, velut excelſa reſidens in puppe, Voluptas
  Arbitrio mentem pellit, agitque ſuo :
Horrida bacchantes ineunt certamina venti,
  Navemque in Syrtes, & vada cæca trahunt.
Illinc Ambitio, Dolus hinc conſurgit, & atrox
  Ira cruentatas ſanguine tincta manus ;
At Ratio regimen navis ſi ſumpſerit, ecce
  Compoſitis undis æquora tuta ſilent :
Ipſa ratis nullo ventorum exterrita flatu.
  In portum certo tramite flectit iter.

Digitized by Google

SAMSONI CRUCIO.

Et bonus & dives, Samſo, ſimul eſſe laboras:
Id fieri nulla ſed ratione poteſt.
Sic utrumque petens, perdes utrumque: neceſſe eſt
Alterutrum tollas, alterutrumque petas.

TUMULUS OTTHONIS HOMINIS VORACISSIMI.

Conditus hac ſub humo eſt gurges, vaſtiſſimus, Ottho,
Cui nunc officium juſta rependit humus.
Condidit in ventrem terræ tot jugera vivus:
Hunc ſub ventre ſuo nunc quoque terra tenet.

IN VIRRONEM.

Quòd totam Virro furioſi more per urbem
Diſcurrit noctu; quòd loca ſola petit;
Neſcio quid ſecum ſolus quòd muſſitat; illo
Quòd nemo eſt tota ſordidus urbe magis:
Hac ratione parat nomen famamque poëtæ,
Et reperit fatuos, ſic quibus eſſe probet.
O! valeant calami, pereat genus omne librorum,
Reddere ſi vates mens male ſana poteſt.

IN PAULUM.

Quæ tu condideras, inſpexi carmina nuper,
Lectaque ſunt, fateor, terque quaterque mihi:
Nec tamen evalui cognoſcere quid ſibi vellent,

Uſque adeo obſcurè ſcribere, Paule, ſoles.
Nam tu verba, puto, ex libris accepta Sybillæ,
Quæque Catonis erant tempore priſca nimis,
Verſibus infercis, gaudeſque obſcurus haberi,
Et velut inducta ſingula nube tegis.
Erraſti hoc tantum, quod mittens carmina, Paule,
Debueras unà mittere grammaticum.

AD AMORES.

Carnifices curæ, miſeræque incendia mentis,
Et tu cum pharetra, ſæve Cupido, tua:
Tuque Erycina ferox, longum, æternumque valete,
Ferte aliò veſtras, noxia tela, faces.
Præteriti vobis nimium conceſſimus ævi:
Jamque dies mores poſtulat iſta novos.
Nunc juvat & rerum cauſas tentare latentes,
Inviaque ignavis per loca ferre pedem;
Induere & mores, contracta fronte, ſeveros,
Atque puellares ſpernere blanditias.
Hæc loquor: at, ſi me placidis ſpectarit ocellis,
Quæ fugat aſpectu nubila cuncta ſuo,
Quàm vereor, ne mox mihi multa & magna locutò
Omnia cum faſtu fortia verba cadant!

IN PONTILIANUM.

Cum rapidus medio deſævit in æquore Titan,
Fer puer huc cyathos, Pontilianus ait:
Cum pluit, en, inquit, Deus admonet eſſe bibendum,
Qui nunc tàm multo proluit imbre ſolum.

Sic vacua a potu non unquam tempora ducit,
Curque bibat, ſemper Pontilianus habet.

PETRO QUINTIO.

Si Dea, quæ dubiis huc illuc paſſibus errat,
Et regit humanas, lumine capta, vices;
Quem Labiryntæis erroribus egit, Ulyſſem
Ad patrios eſſet paſſa ſenere focos:
Membraque lauſque viri tumulo caperentur eodem,
Et tegeret nomen, qui tegit oſſa, lapis.
At quoniam fatis variè crudelibus actus,
Dura tulit terra plurima, plura mari:
Vivit, & evectus rutilis ſuper æthera pennis,
Mæonio clarum carmine nomen habet.
Macte animo, Quinti, dum te ſors invida vexat,
A patriiſque procul finibus eſſe jubet,
Virtutem illa tuam toto diſſeminat orbe;
Dumque nocere cupit, ſic quoque ſæva juvat.

CLAUDIO BURGO.

Perpetuo mœres, nec frontem exporrigis unquam,
Hoccine tu, quæſo, vivere, Burge, vocas?
Is demum vere vivit, qui mente ſerena,
Et nitido lætos exigit ore dies.
At qui perpetuis torquet ſe angoribus, hunc non
Vivere, ſed lenta morte perire puto.

IN QUEMDAM.

Quidam jejunum me clamitat eſſe poëtam,

Digitized by Google

Et mihi, ſicca nimis carmina condis, ait:
Ipſe nota ſedenim carpi ne poſſit eadem,
Egregia prudens calliditate cavet:
Nunquam jejunus, nunquam ut qui ſcribere ſiccus,
Sed ſatur, & vino ſemiſepultus amet.

IN CRASSUM.

Quod ruri maneo ſtudiis addictus honeſtis,
Ruſticus, hoc videor nomine, Craſſe, tibi.
Ruſticus ille quidem non eſt, qui rura pererrans,
Ingenium rerum cognitione colit:
At tu, qui nullam noſti ſtultiſſimus artem,
Eſſe vel in media ruſticus urbe potes.

IN GAURUM.

Fama eſt hoc anno morituros eſſe poëtas:
Quid metuis? nil te, Gaure, timere decet.

IN RUFINUM.

Cum cœnet nemo tota te lautius urbe,
Ad tua cur rarus prandia, quæris, eam?
Accubui ſimul ac tecum, Rufine, monetque
Primus in appoſitas impetus ire dapes:
Mox onerare meas inſulſis verſibus aures
Incipis, & nugas ingeminare tuas.
Nec retices unquam, ſed ab ovo ad mala recenſes
Vix, puto, per centum carmina facta dies:
Quæ ſi quis ſanus patienti combibat aure
Illum adamantini pectoris eſſe putem.

H v

Miraris, cur te non poſſim ferre canentem?
Menſa ipſa inſipido carmine preſſa gemit.

IN FORTUNAM.

Fortuna inconſtans, & neutro certa paratu,
Vel fautura premit, vel nocitura favet.

IN COMMENTARIOS JURIS CIVILIS, FRANCISCI CONNANI VIRI CLARISSIMI.

Liber ipſe lectorem alloquitur.

Dum tua nil præter curantis commoda, Lector,
Me patris aſſiduo cura labore polit,
Dumque diebus amat totas ex ordine noctes,
Noctibus & totos continuare dies,
Ipſe (fatebor enim infelix) dominoque patrique,
Ipſe necis propere maxima cauſa fui.
Verum etiam ſine me, fatalia tempora menſus,
Serius ut paulo, tandem obiturus erat.
Faxo ego, ut æternùm per me nunc vivat: eroque
Illi auctor vitæ, cui necis ante fui.

DE SEIPSO.

Dicebam Euterpæ, cœptis in verſibus hærens,
Auxilium fratri porrige, Diva, tuo.
Fraterno mota eſt in riſum nomine virgo,
Et nitido ſudum reddidit ore diem:
Tunc ego ſubridens, mirari deſine, nam mî
Si pater eſt Cæſar, tu ſoror eſſe potes.

Digitized by Google

IN IMPORTUNOS RECITATORES.

Hei mihi, quàm res inviſa eſt nimis eſſe poëtam!
Quantum odii morbus colligit ille ſuis!
Nil genere hoc hominum eſt uſquam importunius: illo
Et cane, qui ſapiunt, pejus & angue, cavent.
Nec locus eſt, nec tempus, ab his ſubducere quo te,
Non ſi mille modis aggrediare, queas.
In fora te, in thermas, & balnea in ipſa ſequentur:
Quod ſi in templa gradum ferre parabis, & huc,
Si notos forte ægrotos inviſis, & illuc:
Spectatum ludos forſitan ibis? & huc.
Pergis eò, nullum quò ducere quæris? & illuc:
Pergis eò, comitem quò tibi poſcis? & huc.
Denique, ut exoneres alvum, diſcedis? & illuc:
Ut ſomnum capias, feſſus abibis? & huc.
Interea inſulſis onerabunt verſibus aures,
Auribus ut te nunc ipſe carere velis:
Verſibus inſulſis, quis cantio gratior illa eſt,
Quam geminat putri condita rana lacu.
Ex genere hoc, miſerum nuper me prenderat unus:
(O lux infelix quam fuit illa mihi!)
Feſſus ego, inſuavis mihi jam ut vita eſſet, apud me
Fundebam ſurdo talia vota Jovi:
Summe Deûm, te ſi qua mei miſeratio tangit,
(Nam qua ſim poſitus conditione vides)
Aut abige hunc tandem, aut mihi da ſurdeſcere, vel jam
Alterutrum noſtrûm, vel neca utrumque ſimul.
Venerat ad primæ damnata crepuſcula lucis;
Vix abiit vates ſole cadente meus.

Digitized by Google

PAULO.

Das mihi lactucas, centum ſed mutua poſcis;
Deſine: lactucas, Paule, minoris emo.

ANTONIO CALLÆO.

Unquamne, Antoni, locupletem te fore credis?
Et cœlo, & tota falleris hercle via.
Non es adulator, non fur, non denique leno,
Non bonus inſontes voce onerare reos.
Innocuus vivis, fraudiſque & criminis expers;
Semper in antiqua ſimplicitate manes.
Evades nunquam dives rationibus iſtis:
Eſſe bonum noſtro tempore ſtultitia eſt.

PAULO.

Qui capit, inferior; major, qui donat, habetur:
Inferior ſic te, Paule, libenter ero.

CUIDAM.

Hos tibi quid juras factos ex tempore verſus?
Pagina, ſi taceas, id ſatis ipſa probat.

IN PHÆDRAM.

Cum Phædra Hippolyti disjectos cerneret artus,
Membraque tam multis ſanguinolenta locis;
Poſtquam non potui vivum te inflectere, dixit,
Perſequar ad Stygios te tamen uſque lacus.

Digitized by Google

Dixit, & incumbens gladio, terram ore momordit.
Sæpe amor inſanus talia monſtra parit.

DE MORTE M. BRUTI.

Brutus ut Auguſto belli ſuccedere palmam,
Et paulùm a victis vidit abeſſe ſuos,
Amplexus gladium multa jam cæde madentem;
Ergone te, dixit, ſoſpite, ſervus ero!
Quin potius, fatis id quod præcluſa malignis
Non potuit Patriæ, dextra datura mihi eſt.
Hæc fatus, rutilum per coſtas exigit enſem,
Magnanimoque cadens pectore pulſat humum.
Sic quoque dum moritur, labris dum ſpiritus errat,
Nunc, ait, invito Cæſare, liber ero.

IN QUEMDAM.

Quidam Margaridem meam ſalutat,
Morboſus, capularis, eviratus,
Ficoſus, recutitus, hernioſus,
Calvaſter, podager, cadaveroſus,
Orci victima, pabulum Charontis;
Cui jam oris, puto, fœtido in receſſu
Dentes quinque, nec amplius, ſuperſunt;
Cui centum ſcabies petita luſtris
Artus depopulatur ulceroſos.
Idem, quod magis ac magis pudendum eſt,
Pauper, dirutus, expeculiatus,
Qui noctu omnia fana pervagatur,
Si quid perditus harpagare poſſit,

A ſe quo miſeram famem repellat.
Atqui ſurripiat, clepat, quid ad me?
Quicquid fecerit, haud movebor unquam,
Dum ne Margaridem meam ſalutet.

DE MORTE CICERONIS.

Cum ferus aſtaret ſtricto mucrone ſatelles,
Sumere ſupplicium de Cicerone parans,
Immoto vultu, atque oculis conſtantibus ille
Præbens infandâ colla ſecanda manu:
Publica Libertas vitâ mihi carior, inquit,
Me quoque, me fas eſt, te moriente, mori.

CALENDIS JANUARIIS, JOCOSUM,

AD MICHAELEM LOCHIANUM.

Non tibi, pro xeniis, fulvi pretioſa metalli
Pondera, non doctâ ſigna polita manu;
Non lana Aſſyrio tincta & ſaturata veneno,
Non gravis argenti lamina munus erit.
Talia non capiunt generoſas munera mentes:
Talia magnanimi ſpernere dona ſolent.
Cum te igitur, quam ſis excelſo pectore, norim,
Non mittam iſta tibi dona: quid ergo? nihil.

AD JANUM VERMELIANUM.

Divitias hodie plenâ depromere ab arca,
Theſauroſque meos jam reſerare placet;
Ut te muneribus donem, mi Jane, ſuperbis,
Jane, inquam, ex animo nunquam abolende meo.

Dona paro tibi ferre, quibus, ſi dicere fas eſt,
   Attalicæ poſſunt nil dare majus opes:
Munera, Perſarum gazas quæ vincere poſſent;
   Munera, Pactoli eſt præ quibus unda nihil.
Quidnam poſt tantos feret hic promiſſor hiatus,
   Qui ſua tam elatâ munera voce canit?
Sic tecum: & quæ ſint ea tandem dona, requiris.
   Atqui jamdudum, quæ tibi poſcis, habes.
Hui? dices, hoc tu breve chartæ & inutile fruſtum
   Perſarum gazis amplius eſſe putas?
Quid facias? nil poſſideo, niſi carmina, Jane:
   Quare ea theſauros divitiaſque voco.
Tu quoque, ſi natura mihi tua cognita recte eſt,
   Carmina divitiis pluris habenda probas.

CURANDAM ESSE HIEMIS TEMPORE CUTICULAM.

Ingere ligna foco: vis frigoris aſpera ſævit.
   Eia age quid dubitas? ingere ligna foco.
Non audis, quanto Boreas bacchetur hiatu?
   Nonne vides, multâ ut jam nive canet humus?
Aſpicis, ut veteres viduentur frondibus orni?
   Cernis, ut amiſſas ſilva queratur opes?
Cernis & ut pigro lenteſcant marmore rivi?
   Me gelidus totis artubus horror habet.
Ferto age, ferto huc vina, puer, cyathoſque capaces:
   Ante focum menſas explicuiſſe juvat.
Jam triſti cœlum eſt facie; jam nubilus aër
   Omnia concutiens, nos vetat ire foras.

Digitized by Google

Ergo domi incluſos genio indulgere neceſſe eſt,
Mos datus a priſcis ut teneatur avis.

LODOICO VALESIO ADOLESCENTI HONESTISSIMO.

Miraris, tanto cùm te complectar amore,
Cur tamen extremum hìc te, Lodoïce, locem?
Pectore nempe mihi penitus defixus in imo es:
Ultimus, hinc factum eſt, pectore ut exieris.

VITA FUGIT DUM VIVERE MEDITAMUR.

Guſtanda vita, non fruenda, homini datur:
Nam, cum fruendi tempus eſt, tum deſerit.
Feliciùs maritus, an cælebs agat?
Privata vita ſitne regno dulcior?
An vita regia ſolium attingat Jovis?
Peregre morari ſuavius ſit, an domi?
Qui, quamque multi, & quo parandi more ſint,
Quo habendi, amici? nullus hæc curat puer;
Rarus adoleſcens, nec ſenex omnis videt.
Et hæc tamen vitam prope omnem continent.
Quæ ſi quis acri cura & uſu pervigil
Longo notarit, idemque ſecum ſtatuerit,
Quid fugere, quid contemnere, & quid perſequi
Expediat homini; vix eam ingreſſo viam,
Quam maxime unum ex omnibus probaverit,
Obſtat ſenectus invida, & curſum impedit:
Mox avida triſtes Lacheſis injicit manus.
Sic vivere meditantibus vita evolat.

Digitized by Google

CUM SESE OFFERT, RAPIENDA OCCASIO.

Si expectes, Pamphile, ipſa dum negotia
Te accerſant ultro, & dormientem exſuſcitent;
Vehementer erras: taciti diſcedunt dies,
Nec obliviosſos officii admonent ſui.
Superba res eſt rei gerendæ occaſio:
Semel contemta, nunquam poſtea redit.
Vigiles oportet, & tua accures memor;
Nam, ſi ipſe rem curare negligas tuam,
Fugit illa, & facilè, qui ſe curet, invenit.
Tu rem quam cures poſtea haud facile invenis.

NULLI FORTUNA SIMPLEX CONCEDITUR.

Memini magiſtrum puero mî olim hoc dicere:
Summum Jovem facere item, ut caupones ſolent,
Qui vina ut vendant, turbant, miſcent, diluunt;
Nec cuiquam vini ſimplicis donant cadum.
Itidem illum aiebat in vita mortalium
Nunquam fortunam ſimplicem cuiquam dare;
Sed temperare fata lætis triſtia.

E GRÆCO CALLIMACHI.

Namque & ego nitido capiti, flaviſque capillis
  Serta olim Aſſyrio ſparſa liquore dedi;
Et bona in ingratum congeſſi plurima ventrem:
  Cuncta ſed in ventos illa abiêre leves.

Servarunt ſolæ commiſſa fideliter aures;
Corporis hac unâ eſt parte reperta fides.

RAPHAELIS URBINATIS PICTORIS EXIMII TUMULUS.

Ipſe loquitur.

Sic mea Naturam manus eſt imitata, videri
Poſſet ut ipsa meas eſſe imitata manus.
Sæpe meis tabulis ipſa eſt deluſa, ſuumque
Credidit eſſe, meæ quod fuit artis opus.
Miraris, dubitaſque! audito nomine credes.
Sum Raphael. Hei mî! quid loquor? imò fui.
tamen, his dictis, quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cuilibet eſſe ſatis.
Nam mea & audito eſt notiſſima nomine virtus,
Et præſtare vicem nominis ipſa poteſt.

DE LINGUA.

O Lingua lingua, ut magnâ eges cuſtodiâ!
Quæ & aliis ſæpe, & ſæpius domino noces.
Multum aſſecutus, qui bene didicit loqui:
Qui bene tacere, non minus aſſecutus eſt.

DE AMORE.

Nivibus hiems exſuperat, ver floribus,
Æſtas ariſtis affluit, lacrymis Amor.

Digitized by Google

AFFICTA TRABEÆ.*

Here, ſi querelis, ejulatu, fletibus
Medicina fieret miſeriis mortalium,
Auro parandæ lacrymæ contra forent.
Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent,
Quàm nænia præficæ ad excitandos mortuos.
Res turbidæ conſilium, non fletum, expetunt.

DE MENTE.

Ut imbre tellus, ſic riganda mens mero;
Ut illa fruges, hæc bona conſilia efferat.

DEDICATIO HORTORUM TIBURTINORUM.

Nec labor Alciden fregit, nec blanda voluptas
Unquam animum caſti molliit Hippolyti.
Ambarum hos hortos virtutum accenſus amore,
Herculi & Hippolyto dedicat Hippolytus.

IDEM.

Aurea ſopito rapuit quæ mala dracone
Alcides, eadem nunc tenet Hippolytus:

---

* *His Scaliger ipſe verſiculis deceptus, quos in Varronis ſui Edit. primâ, ut Poetæ veteris*, Trabeæ, *partum laudabat, hoc ultus eſt Diſticho* :

Qui rigidæ flammas evaſerat ante Toloſæ
Muretus, fumos vendidit ille mihi.

Digitized by Google

Qui membr accepti, quos hic conſeverat hortos,
Auctori voluit muneris eſſe ſacros.

BACCHUS FONTI IMPOSITUS.

Nondum natus eram, cum me prope perdidit ignis.
Ex illo fontes tempore Bacchus amo.

IDEM EX ADVERSO RESPICIENS FONTEM NYMPHARUM.

Qui colitis Bacchum, comites ſimul addite Nymphas;
Nam ſine ope illarum munera noſtra nocent.

IN TABULAM TANTALI.

Si quando admittant ſua te ad ſecreta potentes,
Quiſquis es, exemplo diſce tacere meo.

IN TABULAM JASONIS NAVIGANTIS, ET HERCULIS RAPTUM HYLAM QUÆRENTIS.

Viribus auferres, quod fraude parabis Iaſon.
Eripis, Alcides, ſed tibi raptus Hylas.

EPIGRAMMATUM FINIS.

Digitized by Google

EPISTOLARUM

LIBELLUS.

AD NICOLAUM VIENNENSEM

EPISTOLA.

INCLYTA nobilium ſoboles, Nicolae, parentûm,
Qui jam nunc ipſo ex ætatis limine ſigna
Virtutis præbes nobis manifeſta futuræ,
Nimirum ſapis, & rem recte intelligis unus:
Qui licet antiquis ortus natalibus, haud te
Ante tamen ponis reliquis, ſed fronte modeſta
Alloqueris cunctos, vultuque humanus amico,
Non ulli renuis dextram præbere fidelem.
At quidam contra nullis majoribus orti,
Ore tamen tumido voces efflare ſuperbas,
Æqualeſque ſuos audent contemnere, tanquam
Indignos queis ſe ſe æquali fœdere jungant.
Quos tu deridens, inter nihil eſſe, parente
Quo ſit quiſque creatus, ais, dum ſit modo veræ
Virtutis ſtudioſus, ametque in rebus honeſtis
Ponere labentis fatalia tempora vitæ.
Cui non Sicaniæ notus dominator opimæ,
Qui de figlina eſt ad regni evectus habenas?
At contra Perſei, qui claram rexerat olim
Pallenen, natus, fortunæ ludibrium, amplos
Inflabat folles: & regis filius, unco

Digitized by Google

Impoſitam incudi verſabat forcipe maſſam.

Quid ? non & matris captivæ abjecta propago,
Cui regni flamma index circum tempora fulſit,
Regali ſedit ſolio ? Quid ſtemmata jactas ?
Nam pueri regum parte enaſcuntur eadem,
Qua mendicorum. Numquid communis utrique
Materia eſt ? numquid morbis obnoxius æque eſt,
Quem lana Aſſyrio velat medicata veneno,
Principibus proavis, claroque ex ſanguine natum,
Et ſub Aquitanis ſordet qui bardocucullis,
De peronato genitus patre ? nonne ſorores
Noctigenæ, vitas hominum quæ pollice verſant,
Sunt æque immites generoſis, vilibus æquè ?

Quidnam igitur præſtat mendico hic nobilis iſti ?
Aut quid nobilitas tandem eſt, niſi fumus inanis ?
Nam ſi vim verbi inſpicias, & nobile ſcortum
Dicitur, & latro nonnunquam nobilis : immo
Nomine ita accepto, Pornus quoque nobilis ipſe eſt.

Sed nempe inſanit vulgus, multoque veratro
Indiget, indignos alienis laudibus ornans.

Qui ſe non ullo deturpat crimine, quique
Viribus ingenuas totis amplectitur artes,
Is mihi, ſit quamvis genitore creatus egeno,
Nobilis eſt. At qui vitiorum mole gravatus,
Nil præter ſtatuas & avorum nomina jactat,
Si verum excutias, longe abjectiſſimus ille eſt.

AD JANUM ANTONIUM BAIFIUM.

Jane, mei cordis longè pars maxima, quocum
Dulce mihi eſt totos, crebro componere ſoles:

Digitized by Google

Dum tu, aut Niliacæ meditaris funera Thisbes,
Inficiens atro candentia poma colore,
Aut opus eximium numeris ſublimibus aptas,
Syrmate conſpicuus, picturatoque cothurno;
Carmine nos humili noſtros includimus ignes,
Aut brevibus ſcriptis dulces affamur amicos,
Aut vitiis genuinum inſigimus. Omnia nos hæc
Parvula inaudaces: tibi fas majora parare,
Cui totus ſe Helicon, totuſque recludit Apollo.
Ad vires ſe quemque ſuas componere verum eſt.

AD STEPHANUM JODELLUM.

Semina ſunt quædam naſcentibus inſita nobis,
Queis, duce natura, ad varias impellimur artes.
Ille fori rabiem, veſanaque jurgia laudat,
Et pavidos grata defendit voce clientes,
Impatiens otî: contra hic ſulcare carinis
Regna tridentiferi gaudet patris, & trabe vaſta
Viſere longinquo terras ſub ſole jacentes.
Prodigus hic vitæ violentis ducitur armis,
Gaudet & hoſtili ſtagnantes ſanguine campos
Aſpicere, & litui ſonitu recreatur acuto.
Ille ſui nunquam fines excedere agelli
Auſus, amat tacitis deducere paſſibus ævum,
Proſcindens magnæ gremium Genitricis, & altis
Pinguia Triptolemî committens munera ſulcis.
Nos Muſæ, Jodelle, tenent, genitorque Lyæus,
Quem rigidi ambiguo venerantur numine Thraces,
Et Nymphæ celeres, & capripedes Satyriſci.
Nos, & luce nova luſtrat dum Delius orbem,

Digitized by Google

Et jubar auricomum tremulis dum fluctibus abdit,
Addictos ſtudiis videt, intentoſque labori.
Sed tua te virtus, animi te vividus ardor
Æquales longe ante alios unum abripit: uni
Purpureis dictant Muſæ tibi talia labris,
Qualia pulchricomus, choreas ducentibus ipſis,
Cantat, & ad numerum ſimul ipſe movetur Apollo.
Felix ingenii, viridi cui detur ab ævo
Longævos æquare ſenes, & carmine dio
Demulcere animos. Jam te ipſe tumeſcit alumno
Sequana: jam virides reſonant tua nomina ripæ.
Perge agedum, neu te venienti ſubtrahe famæ.
Non te Parca feret totum: non totus obibis,
Parſque tui effugiet ferales optima flammas.
Muſa ſuos vetat ipſa mori: dat vivere Muſa
Perpetuò, & famam memorem per ſecla propagat.
Cœlo Muſa beat: famam tibi Muſa perennem
Protrahet, & cœlo te olim, Jodelle, beabit.

CLAUDIO.

Quidquid agam, Claudi, ſeu quò me vertere tentem,
Seu nihil, ut ſoleo deſideriosus, agam:
Ante oculos tua mî aſſidue obverſatur imago,
Unaque triſtitiam gignit, & una levat.
Angor enim infelix, quod tu, (quo ſoſpite ſolum
Eſſe velim ſoſpes, quo moriente, mori:)
Nunc ubi ſis, quid agas, veterem tibi cura medentum
An nondum morbum pectore depulerit?
Nec ſcio, nec jam ſcire ulla ratione potis ſum:
Quæ me res angore unica pæne necat.

Digitized by Google

At rurſus nihil eſt, quo me ipſe hoc tempore ſoler,
Quodque oculos triſti tergeat imbre graves:
Te niſi cum vana ſibi mens ſub imagine fingit,
Seu vigilem, dulci ſive ſopore premat.
Hoc mihi Nepenthes curas diſſolvere promptum eſt:
Luctibus hæc una eſt apta medela meis.
Tecum ego nunc videor teneros percurrere verſus,
Sive, Catulle, tuos; ſive, Tibulle, tuos.
Nunc etiam rerum cauſas tentare latentes,
Diſcere & unde fluant omnia, quoque fluant;
Nunc herba in viridi, latæ porrectus ad umbram
Arboris, & rivum molle ſtrepentis aquæ,
Auraſque & dulces avium captare ſuſurros,
Perque vices tecum multa jocoſa loqui.
Gratia Dîs, qui mentem homini celeremq; dederunt,
Et quævis habilem fingere ſpectra ſibi.
Illa & plumipedem ſuperarit Perſea curſu,
Et celerem invicti Bellerophontis equum.
Nec mihi, ſe cujus rerum natura creatrix
Expreſſam in tabulis cernit, ut in ſpeculo,
Tam bene te docto Titianus pollice pingat,
Quam mens te aſſiduè pingere prompta mea eſt.
Atque utinam tibi ſit de nobis mutua cura!
Nec, quin ſit, dubito; ſed tamen eſſe precor.
Non ego vulgari te, Claudi, amplector amore:
Hac face rara Deus tangere corda ſolet.
Me me ipſe odiſſem, niſi tu me gratus amares:
Nec niſi me, quoniam ſum tibi carus, amo.
Denique cùm fuero nulli credenda locutus,
Pars tamen illa mei parvula amoris erit.

I

Di faciant, longos producere detur in annos
A pueris cœptæ fœdus amicitiæ.

TIBURIS DESCRIPTIO
AD AMICUM.

Quicumque Herculei ſpectabis Tiburis arces,
Quà pater Hippolytus, ſacri pars magna ſenatus,
Cura Deûm, loca perpetuo prius aſpera ſaxo
Molliit, & leni juſſit miteſcere clivo,
Omnia deprendet longe ſuperantia famam:
Nec tam regifico conſtructa palatia ſumtu,
Auroque illuſas ædes, radiataque tecta,
Quam ſemper virides mecum admirabitur hortos,
Et gelidos fontes, & aquam in ſublime volantem,
Seque in multiplices vertentem, ut Protea, formas.
Præcipuè tamen illi animum novitate movebit
Exciſus (res mira) ſilex, rupeſque cavatæ,
Et via facta manu longi per viſcera montis,
Quà ſe Anio pater inſueto pervolveret alveo.
Qui longum per iter tenebroſo tramite lapſus,
Exit, & arboribus gelidæ non invidet undæ.
Stant habiles propter Nymphæ, lymphaſque paratis
Exceptas urnis in vaſa capacia fundunt.
Parte alia ipſe ſuis altricibus aſtat Iacchus,
Maternique memor caſus, flammæque paternæ,
Gaudet aquis, illiſque libens ſua munera miſcet.
Dum ſtupeo, tam multa videns miracula rerum,
Ecce novus procul alituum concentus ad aures
Fertur, & inſolita mentem dulcedine tangit.
Aſpicio, & greſſum propius fero: corpora cerno

Parva ex ære avium, æratiſque nitentia ramis,
Dædala queis variam tribuit ſolertia vocem.
Quamcumque aſpicias, deluſus imagine, veram
Eſſe putes volucrem: niſi quod non evolat uſquam,
Sed ramis affixa ſuis cantu æthera mulcet.
At veræ mirantur aves; &, cedere dum ſe
Turpe putant, liquidis late omnia queſtibus implent.
Hic Lucæ egregius labor eſt, quem Sequana partu
Ediderat, Siculi renovantem inventa magiſtri.
Quid? quem non moveat cycnum mentitus adulter,
Illudens ſimili ſpirantem e marmore Lædam
Deliciiſque ſuis, & aquarum murmure lætus?
Multaque præterea veterum ſimulacra Deorum,
Artis opus priſcæ. Cunctos verùm arduus inter
Eminet Alcides, qui ſpectans omnia circum,
Heſperidum veteres hortos præ Tibure temnit.
Sed quid ego hæc verſu nequicquam includere tento?
Jampridem exiguum præſcripti carminis orbem
Exceſſi, & dictis ſemper majora ſuperſunt.

IDEM.

Deliciæ veterum Tibur, volventibus annis
Conciderat, priſcum perdideratque decus;
Et nuſquam rivi, nuſquam pomaria, nuſquam
Ulla ſuper tanti ſigna decoris erant.
Illa loca antiquis toties celebrata poëtis
Horrebant turpi ſqualida facta ſitu:
Mœrebant erepta ſibi ſua gaudia Nymphæ;
Languentes Anio mœſtus agebat aquas:
Omnia tempus edax ita deformarat, ut hoſpes

Quærerent in medio Tibure, Tibur ubi eſt?
Non tulit hanc ſpeciem divini pectoris heros
Hippolytus, ſacri gloria magna chori.
Ille loco ſenium abſterſit, vultuſque priores
Reddidit, & ſolito juſſit honore frui.
Illius imperio juſſæ revireſcere ſilvæ
Cœperunt ſparſis luxuriare comis.
Ille novos paſſim fontes emergere juſſit:
Nec mora fit, fontes proſiluêre novi.
Quos circum ſtatuit priſcis egeſta ruinis
Plurima Phidiacâ ſigna polita manu.
Ipſe Anio frontem pallenti cinctus oliva
Affuit, & proprias conſociavit opes.
Jure igitur fonteſque ſacri, ſilvæque virentes
Certatim Hippolyti nomen ad aſtra ferunt;
Et, quoties molli increpuit levis aura ſuſurro,
Hippolytum alternis vocibus ingeminant.

AD PETRUM GERARDIUM.

O delicati blanda ruris otia,
Curis & ambitu procul!
O dulce murmur limpidorum fontium!
O grata nemorum opacitas!
O ſibilantes arborum ingentûm comæ!
O prata verè gemmea!
O ſolitudo amica cogitantibus!
O horror! O ſilentium,
Cui nunc canoro gutture obſtrepunt aves,
Nunc canna paſtoris vagi:
Seu mane oves in læta ducit paſcua,

Seu veſpere reducit domum.
O menſa nec luxu affluens, nec ſordida,
Dapibus parata ruſticis,
Quas non, heri languentem ut irritet gulam,
Doctus ſaporavit coquus:
Sed filiis juvenibus & ſeni viro
Severa coxit villica.
O bibliotheca nota paucis! O libri
Quos rara contrectat manus!
O cella tantum lectuli unius capax!
O ſomne liber & levis!
O ad beatam tuta vitam ſemita,
Ignota vulgi ſenſibus:
Ut vos requiro! ut mente vos tota expeto,
Alia peroſus omnia!
Ut lætus ad vos tendit, & gazis libens
Vos anteponit Perſicis,
Quicumque puro pectus Olmeio (1) lavit,
Frondemque mordet Delphicam!
Quid tu, Gerardi, cui profanis invios
Adire fontes contigit,
Parteſne eaſdem ſequeris? an ſiti mala
Opum, aut peruſtus gloriæ,
Amœnitati ruris & dulci otio
Vitam anteponis aulicam?
O per Lycæi cognitos paucis ſpecus,
Quos ſæpe luſtraſti puer,
Ne ſperne amicus conſilî quod dat ſenex,

(1) Bœotiæ fluvio, cujus fons in Helicone. In eo Muſæ lavabantur, ut & in Permeſſo, in Hippocrene. *Heſiod. Theog.*

Quodque ſibi, ſed ſero capit.
A literato te otio avocantibus
Occludito aures, & fuge.
Canora monſtra ut auribus cera oblitis
Laërtis effugit puer.
Beata vita non metallo, aut Indici
Spoliis paratur æquoris.
Animo appetenti pauca, quod ſat eſt, ſat eſt:
Avido, atque inexpleto, nihil.
Cùm tibi ſit, unde liber, & plane tuus
Vitam quiete tranſigas:
Quis, heu! furor te, quis, rogo, impellit furor,
Vincla ultro ut induas tibi;
Et more pulchrum vivere alieno putes,
Nutus timentem divitis?
Age, rumpe nexus, & jugum collo excute,
Vindexque & aſſertor tui,
Aude eſſe felix; & procul cuncta amovens,
Quæ mentem humo adfixam tenent,
Per liquida puri ſpatia decurre ætheris,
Æterna tantum cogitans,
Et iſta ſortis lubricæ ludibria
Miranda vulgo deſere.
Utinam mihi olim, flore cum primo rudes
Juventa opacaret genas,
Amicus aliquis iſta monſtraſſet ſenex,
Quæ nunc tibi ipſe cantito!
Non ego periſſe luſtra tot in aula (1) mihi
Vanis dolerem queſtibus.

(1) Romana.

ODÆ.

AD JOHANNEM AURATUM,

VIRUM UTRAQUE LINGUA ERUDITISSIMUM.

AURATE, gentis grande decus meæ,
Qui tenſa doctâ fila legens manu,
Seclis inexpertum vetuſtis
Ambroſio jacis ore nectar:

Quid eſſe cauſæ ſuſpicer, invida
Suis quod ortos Gallia finibus,
Aut odit, aut ſpernit poëtas,
Uſque favens peregrinitati?

Atqui vetuſtis temporibus ſuos
Et fovit Hellas, & Latium ſuos:
Quæ pravitas nos mentis unos,
Ne faciamus idem, coërcet?

Nihil daturum me auribus hîc tuis
Velim arbitreris, ſim licet & fide
Pridem tibi, & communitate
Sanguinis & patriæ alligatus:

Nil iſta ſed me commoveant tamen,
Aurate, palpo percutere inſcium,
Ut laudibus te ornare pergam,
Ni tua me prope ſingularis

Virtus moveret. Nil faciles tibi
Muſæ negarunt : ſeu libeat fide
Sacrare Græcâ, ſeu Latinâ
Nobilium inclyta facta regum.

Hac arte quondam quas ſibi copias
Dirces alumnus, quod peperit decus,
Contrà tuos mercede juſta
Quiſnam hodie decorat labores ?

Præjudicatæ quod niſi nos premat
Auctoritatis pondus, erit nihil,
Cur non, metu plane remoto,
Cedere te inficiemur illi.

Sed nempe virtus temporibus jacet
Depreſſa noſtris : hinc fit, ut unici
Virtutis altores poëtæ
Clade etiam ſimili premantur.

IN DISCESSU DANIELIS SCHLEICHERI FILII LONGE DULCISSIMI.

DESCENDE cœlo, & jam mihi lugubres
Regina dicta, Calliope, modos,
Quibus furentem, eheu ! ſub imis
Viſceribus retegam dolorem.

Dic, diva, carmen, quale per herbidi
Ripas Cayſtri, candidulum caput

Digitized by Google

Trajectus immiti ſagitta
Voce canit moriente cycnus;

Aut qualia olim conjuge Thracius
Rapta ſacerdos dixerat, ad ſonum
Quorum & feræ immanes quierunt,
Et rabidi poſuere venti.

Ah! unde queſtus incipiam meos!
Quæ prima ſe vox pectore proferet,
Iterque laxabit querelis!
Nam meus hinc DANIEL recedit.

Nunquamne poſthac, o! juvenum decus,
Quotquot, jugales dum citat aureos,
Terramque colluſtrat jacentem,
Ignivomo videt ore Phœbus:

Nunquamne poſthac conſpiciam tuos,
SCHLEICHERE, vultus? cur igitur moror,
Nec triſtis inviſæque vitæ
Fila ferox inimica rumpo!

Jam jam valete, o! gaudia, & o! joci,
Et quicquid antehac dulce fuit mihi:
Venite jam fletus perennes,
Perpetuique venite planctus.

Innixa ramis Daulias ut novis,
Cui cautus auceps, furtifica manu
Pullos tenellos involavit,
Mœſta ſedet, geminatque queſtus;

Digitized by Google

Et ſe doloris vulnere conficit ;
Sic ipſe poſtquam deſiero tui
  Aſpectu amato atque expetito
  Poſſe animum exſatiare vultûs ,

Eheu ! quibus tunc fluctibus opprimar !
Quantas dolorum perpetiar faces !
  Quàm ſæpe, te ut ſpectare poſſim ,
  Morte mea cupiam paciſci !

Lenito crebris hæc mala literis ,
O ! nate , ſaltem ; neve animo patrem
  Depone, qui, dum vivet, unum
  Pectore te retinebit arcto.

AD CLAUDIUM VOESIUM.

CLAUDI, integello pectore amabilis,
Qui mente ſolus disjicis a mea
  Acerba curarum, benignis
  Vocibus, alloquioque dulci :

Non ſic timenda eſt, in Libyæ jugis
Quæ, matre rupta, vipera naſcitur ;
  Non ſcorpii cauda minacis ,
  Non geniti ſub aquis chelydri ;

Non herba tetro noxia gramine ,
Quamcunque tellus Theſſalis educat ;
  Non illa, quam ſtillante rictu
  Spuma canis genuit triformis :

Digitized by Google

Dira ut latentis tela Calumniæ,
Quam Dite Tellus ſuſtulit ex patre,
Nefariam, inſonteſque fictis
Criminibus premere efficacem.

Hæc conglobatis ſuſpicionibus
Beli nepotem perdidit: hæc malæ
Adegit ad potum cicutæ
Innocuum ſophiæ parentem.

Dum Phœbus Indos exoriens novo
Afflabit igni, Beticolas cadens,
Non ulla Theſeidæ modeſti
Secla pudicitiam tacebunt.

Aggreſſa blandis hunc ſua fraudibus
Noverca pellax: « QUID, juvenum decus,
» Labentis iſtud ver juventæ
» Perdis, ait, tenerumque florem?

» Cur editorum per juga montium,
» Antris latentes perſequeris feras?
» Tibi abſque telis, retibuſque
» Præda domi melior parata eſt.

» Accede, neu te pœniteat mei
» Fructus pudoris carpere primulos:
» Non me ore natura indecoro
» Protulit, immeritamve amari.

» Quid vana legum vincula te movent?
» Natura nullos concubitus vetat:

» Sed compedes vaniſſima iſtas
» Cura hominum ſibi fabricata eſt ».

Nil ille motus : « Desine vocibus
» Tentare mentem ſpurcidicis meam ;
» O ! ſpurca , & in tauros furenti
» Progenies genitrice digna » !

Hæc fatus in teſqua , & nemorum abditos
Abit receſſus , geſa manu rotans :
Vadentem odora & vis ſagacium
Anteit & ſequitur Laconum.

Quid innocenti , ſed juveni tamen
Servaſſe tanto a crimine profuit
Mentem , ſi apud patrem reverſum
Impia plus potuit noverca ?

Cujus querelis ille adeo integer
Per vota patris filius occidit ,
Cautes & eliſo marinas
Imbuit emoriens cerebro.

Nec me venenis non petiit ſuis
Illa ipſa mendax anguipedum ſoror ,
Mendaciorum procreatrix ,
Perpetua & ſcelerum architecta :

Sed dexter illi me eripuit Deus ,
Umbone tanquam me triplici tegens :
Cujus memor , nunquam canoris
Verſibus hunc celebrare mittam.

Digitized by Google

AD PETRUM RONSARDUM
GALLICORUM POETARUM FACILE PRINCIPEM.

RONSARDE Aonii pectinis arbiter,
Qui princeps reſonum ſollicitas ebur,
Ventorumque minas, & celeres potens
Lapſus ſiſtere fluminum:

Quando te reducem Vindocino ex agro
Cernemus, veterum turba ſodalium?
Quis te, quis niveo vellere conditus
Nobis reſtituet dies?

Qui deſiderio perpete nunc tui,
Heu quæ non facimus vota? quibus ſacros
Poſtes muneribus cingere parcimus?
Quas non concipimus preces?

O! ſaltem interea, quicquid agis, memor
Noſtri vive. Ita te curribus aureis
Rumor per liquidum gemmeus aëra,
Spectandum populis vehat.

AD NICOLAUM DENISOTUM
COMITEM ALSINOUM.

BACCHUS poëtas & facit & fovet,
Bacchus poëtarum ingenia excitat:

Digitized by Google

Bacchus novem præſtat puellis
Et melior, potiorque Phœbo eſt.

Ter terna quiſquis pocula tranſtulerit
Dulcis Falerni, ſentiet hic ſibi
Calere divino furore,
Carmina ad ejicienda, mentem.

Sic lætus olim vixit Anacreon
Cinctus virenti tempora pampino;
Sic Ennius ſemper madenti
Gutture carmina funditabat.

Algentis at quos potus aquæ juvat,
Frigent eorum carmina, nec ferunt
Ætatem. Ades, mecumque plenis
Hâc cyathis, Nicolae, certa.

Miranda ſeris carmina poſteris
Uterque loto gutture concinet.
O dulce tormentum! o gravatis
Certa quies animis, Lyæe!

Quænam, imperiti, pocula quærimus
Vocalis undæ? quod bifidi duplex
Montis cacumen ſomniamus?
Quam petimus, fatui, Hippocrenen?

Hæc Hippocrene eſt: unicus hic liquor
Vates ſtupendos efficere evalet.
En, par pari gratus repende;
Hoc ego te cyatho ſaluto.

Digitized by Google

AD ANTONIUM MONTECATINUM.

Tandem querelis pone modum tuis,
Et fata mœſtis invida vocibus
Clamare, crudeleſque divos,
Cum gemitu lacrymiſque parce.

Numquid Lycæi juverit avios
Luſtraſſe ſaltus, fontibus ac ſitim
Ex vulgo inacceſſis levaſſe,
Ingenioque adiiſſe Divos?

Si mentis iſtud præſidium tuæ
Perrumpit, & ſeſe intus agit dolor,
Imiſque fervens in medullis,
Te quaſi perdomito triumphat?

Magnam doloris fata quidem tibi
Cauſam obtulerunt, quæ tibi cognitum,
Longoque carum uſu ſodalem
Hannibalem ante diem abſtulerunt.

Qui quanquam avitis ſat titulis domi
Foriſque clarus, non tamen id ſibi
Satis fore ornando putavit,
Ni proprios etiam ipſe honores,

Labore magno, quæreret impiger,
Comamque lauro duplice necteret,
Et qua ferox Gradivus, & qua
Pulcher Apollo ſuos coronat.

Digitized by Google

Heu quis Deorum mentibus addidit
Famæ illam honeſtis immodicam ſitim ?
Quàm ſæpe multis illa triſtem
Funeris acceleravit horam !

Sed, quorſum inanes jam querimoniæ ?
Ille ipſe, quem urges queſtibus, Hannibal
Felix, & inſertus Deorum
Concilio, mala noſtra ridet.

FINIS.

Digitized by Google

OANNIS SECUNDI

HAGIENSIS

JUVENILIA.

Digitized by Google

THEODORI BEZÆ
DE JOANNE SECUND
JUDICIUM.

Excelsum ſeu condit opus, magnique Maronis
Luminibus officere ſtudet:
Sive leves elegos, alternaque carmina raptus
Naſonis impetu canit:
Sive lyram variis ſic aptat cantibus, ut ſe
Victum erubeſcat Pindarus:
Sive jocos, blandoſque ſales epigrammate miſcet,
Clara invidente Bilbili:
Unus quatuor hæc ſic præſtitit ille Secundus,
Secundus ut ſit nemini.

Digitized by Google

JOAN. SECUNDI

JUVENILIA.

BASIORUM LIBELLUS.

BASIUM I.

Cum Venus Aſcanium ſuper alta Cythera tuliſſet,
  Sopitum teneris impoſuit violis;
Albarum nimbos circumfuditque roſarum,
  Et totum liquido ſparſit odore locum.
Mox veteres animo revocavit Adonidis ignes,
  Notus & irrepſit ima per oſſa calor.
O! quoties voluit circumdare colla nepotis!
  O! quoties, Talis, dixit, Adonis erat!
Sed placidam pueri metuens turbare quietem,
  Fixit vicinis baſia mille roſis.
Ecce calent illæ, cupidæque per ora Diones
  Aura, ſuſurranti flamine, lenta ſubit.
Quotque roſas tetigit, tot baſia nata repente
  Gaudia reddebant multiplicata deæ.
At Cytherea, natans niveis per nubila cycnis,

Digitized by Google

THEODORI BEZÆ
DE JOANNE SECUNDO
JUDICIUM.

Excelsum ſeu condit opus, magnique Maronis
Luminibus officere ſtudet:
Sive leves elegos, alternaque carmina raptus
Naſonis impetu canit:
Sive lyram variis ſic aptat cantibus, ut ſe
Victum erubeſcat Pindarus:
Sive jocos, blandoſque ſales epigrammate miſcet,
Clara invidente Bilbili:
Unus quatuor hæc ſic præſtitit ille Secundus,
Secundus ut ſit nemini.

Digitized by Google

JOAN. SECUNDI
JUVENILIA.

BASIORUM LIBELLUS.

BASIUM I.

Cum Venus Aſcanium ſuper alta Cythera tuliſſet,
  Sopitum teneris impoſuit violis;
Albarum nimbos circumfuditque roſarum,
  Et totum liquido ſparſit odore locum.
Mox veteres animo revocavit Adonidis ignes,
  Notus & irrepſit ima per oſſa calor.
O! quoties voluit circumdare colla nepotis!
  O! quoties, Talis, dixit, Adonis erat!
Sed placidam pueri metuens turbare quietem,
  Fixit vicinis baſia mille roſis.
Ecce calent illæ, cupidæque per ora Diones
  Aura, ſuſurranti flamine, lenta ſubit.
Quotque roſas tetigit, tot baſia nata repente
  Gaudia reddebant multiplicata deæ.
At Cytherea, natans niveis per nubila cycnis,

Digitized by Google

Ingentis terræ cœpit obire globum.
Triptolemique modo, fœcundis oſcula glebis
Sparſit, & ignotos ter dedit ore ſonos.
Inde ſeges felix nata eſt mortalibus ægris:
Inde medela meis unica nata malis.
Salvete æternum, miſeræ moderamina flammæ,
Humida de gelidis baſia nata roſis.
En ego ſum, veſtri quo vate canentur honores,
Nota Meduſæi dum juga montis erunt;
Et memor Æneadum, ſtirpiſque diſertus amatæ,
Mollia Romulidum verba loquetur Amor.

BASIUM II.

VICINA quantum vitis laſcivit in ulmo,
Et tortiles per ilicem
Brachia proceram ſtringunt immenſa corymbi,
Tantum, Neæra, ſi queas
In mea nexilibus proſerpere colla lacertis,
Tali, Neæra, ſi queam
Candida perpetuùm nexu tua colla ligare,
Jungens perenne baſium:
Tunc me nec Cereris, nec amici cura Lyæi,
Soporis aut amabilis,
Vita, tuo de purpureo divelleret ore;
Sed mutuis in oſculis
Defectos, ratis una duos portaret amantes
Ad pallidam Ditis domum.
Mox per odoratos campos, & perpetuum ver

Produceremur in loca,
emper ubi, antiquis in amoribus, Heroinæ
Heroas inter nobiles
ut ducunt choreas, alternave carmina lætæ
In valle cantant myrtea.
Quâ violiſque, roſiſque, & flavicomis narciſſis,
Umbraculis trementibus,
lludit lauri nemus, & crepitante ſuſurro
Tepidi ſuavè ſibilant
Eternùm Zephyri, nec vomere ſaucia tellus,
Fœcunda ſolvit ubera.
Turba beatorum nobis aſſurgeret omnis,
Inque herbidis ſedilibus,
Inter Mœonidas prima nos ſede locarent;
Nec ulla amatricum Jovis
Prærepto cedens indignaretur honore,
Nec nata Tyndaris Jove.

BASIUM III.

Da mihi ſuaviolum, dicebam, blanda puella:
Libaſti labris mox mea labra tuis.
Inde, velut preſſo qui territus angue reſultat,
Ora repente meo vellis ab ore procul.
Non hoc ſuaviolum dare, lux mea, ſed dare tantum
Eſt deſiderium flebile ſuavioli.

Digitized by Google

BASIUM IV.

Non dat baſia, dat Neæra nectar,
Dat rores animæ ſuaveolentes,
Dat nardumque, thymumque, cynnamumque,
Et mel, quale jugis legunt Hymetti,
Aut in Cecropiis apes roſetis,
Atque hinc virgineis & inde ceris
Septum vimineo tegunt quaſillo.
Quæ ſi multa mihi voranda dentur,
Immortalis in iis repente fiam,
Magnorumque epulis fruar deorum.
Sed tu munere parce, parce tali,
Aut mecum dea fac, Neæra, fias:
Non menſas ſine te volo deorum,
Non, ſi me rutilis præeſſe regnis
Excluſo Jove, dii deæque cogant.

BASIUM V.

Dum me mollibus hinc & hinc lacertis
Aſtrictum premis, imminenſque toto
Collo, pectore, lubricoque vultu,
Dependes humeris, Neæra, noſtris;
Componenſque meis labella labris,
Et morſu petis, & gemis remorſa,
Et linguam tremulam hinc & inde vibras,
Et linguam querulam hinc & inde ſugis,

Digitized by Google

Aſpirans animæ ſuavis auram
Mollem, dulciſonam, humidam, meæque
Altricem miſeræ, Neæra, vitæ:
Hauriens animam meam caducam,
Flagrantem, nimio vapore coctam,
Coctam pectoris impotentis æſtu,
Eludiſque meas, Neæra, flammas,
Flabro pectoris haurientis æſtum,
O! jucunda mei caloris aura!
Tunc dico, deus eſt Amor Deorum,
Et nullus deus eſt Amore major:
Si quiſquam tamen eſt Amore major,
Tu tu ſola mihi es, Neæra, major.

BASIUM VI.

De meliore nota bis baſia mille paciſcens,
Baſia mille dedi, baſia mille tuli.
pleſti numerum, fateor, jucunda Neæra,
Expleri numero ſed nequit ullus amor.
iis laudet Cererem numeratis ſurgere ariſtis?
Gramen in irrigua quis numeravit humo?
iis tibi, Bacche, tulit pro centum vota racemis?
Agricolamve deum mille popoſcit apes?
im pius irrorat ſitientes Jupiter agros,
Deciduæ guttas non numeramus aquæ.
: quoque cum ventis concuſſus inhorruit aër,
Sumſit & irata Jupiter arma manu,
randine confuſa terras & cærula pulſat,

Digitized by Google

Securus ſternat quot fata, quotve locis.
Seu bona, ſeu mala ſunt, veniunt uberrima cœlo
Majeſtas domui convenit illa Jovis.
Tu quoque cùm dea ſis, diva formoſior illa,
Concha per æquoreum quam vaga ducit iter,
Baſia cur numero, cœleſtia dona, coërces,
Nec numeras gemitus, dura puella, meos?
Nec lacrymas numeras, quæ per faciemque ſinumque
Duxerunt rivos ſemper euntis aquæ?
Si numeras lacrymas, numeres licet oſcula; ſed ſi
Non numeras lacrymas, oſcula ne numeres.
Et mihi da, miſeri ſolatia vana doloris,
Innumera innumeris baſia pro lacrymis.

BASIUM VII.

Centum baſia centies,
Centum baſia millies,
Mille baſia millies,
Et tot millia millies,
Quot guttæ Siculo mari,
Quot ſunt ſidera cœlo,
Iſtis purpureis genis,
Iſtis turgidulis labris,
Ocelliſque loquaculis,
Ferrem continuo impetu,
O! formoſa Neæra:
Sed dum totus inhæreo
Conchatim roſeis genis,

Conchati

Conchatim rutilis labris ;
Ocelliſque loquaculis ;
Non datur tua cernere
Labra, non roſeas genas ;
Ocelloſque loquaculos,
Molles nec mihi riſus :
Qui, velut nigra diſcutit
Cœlo nubila Cynthius,
Pacatumque per æthera
Gemmatis in equis micat ;
Flavo lucidus orbe,
[illegible]ic nutu eminus aureo
[illegible]meis lacrymas genis ;
[illegible]s animo meo,
[illegible]ſpiria pellunt.
He[illegible] ſunt oculis meis
Nata[illegible]a cum labris ?
Ergo [illegible] mihi vel Jovem
Rivale[illegible]otero pati :
Rival[illegible]li mei
[illegible]unt mea labra ?

B[illegible]IU[illegible] VIII.

Quis [illegible], Neæra,
Inepta, quis jubebat
Sic involare noſtram,
Sic vellicare linguam,
Ferociente morſu ?

THEODORI BEZÆ
DE JOANNE SECUNDO
JUDICIUM.

Excelsum ſeu condit opus, magnique Maronis
Luminibus officere ſtudet:
Sive leves elegos, alternaque carmina raptus
Naſonis impetu canit:
Sive lyram variis ſic aptat cantibus, ut ſe
Victum erubeſcat Pindarus:
Sive jocos, blandoſque ſales epigrammate miſcet,
Clara invidente Bilbili:
Unus quatuor hæc ſic præſtitit ille Secundus,
Secundus ut ſit nemini.

Digitized by Google

JOAN. SECUNDI

JUVENILIA.

BASIORUM LIBELLUS.

BASIUM I.

Cum Venus Aſcanium ſuper alta Cythera tuliſſet,
  Sopitum teneris impoſuit violis;
Albarum nimbos circumfuditque roſarum,
  Et totum liquido ſparſit odore locum.
Mox veteres animo revocavit Adonidis ignes;
  Notus & irrepſit ima per oſſa calor.
O! quoties voluit circumdare colla nepotis!
  O! quoties, Talis, dixit, Adonis erat!
Sed placidam pueri metuens turbare quietem,
  Fixit vicinis baſia mille roſis.
Ecce calent illæ, cupidæque per ora Diones
  Aura, ſuſurranti flamine, lenta ſubit.
Quotque roſas tetigit, tot baſia nata repente
  Gaudia reddebant multiplicata deæ.
At Cytherea, natans niveis per nubila cygnis,

Digitized by Google

Ingentis terræ cœpit obire globum.
Triptolemique modo, fœcundis oſcula glebis
Sparſit, & ignotos ter dedit ore ſonos.
Inde ſeges felix nata eſt mortalibus ægris:
Inde medela meis unica nata malis.
Salvete æternum, miſeræ moderamina flammæ,
Humida de gelidis baſia nata roſis.
En ego ſum, veſtri quo vate canentur honores,
Nota Meduſæi dum juga montis erunt;
Et memor Æneadum, ſtirpiſque diſertus amatæ,
Mollia Romulidum verba loquetur Amor.

BASIUM II.

VICINA quantum vitis laſcivit in ulmo,
Et tortiles per ilicem
Brachia proceram ſtringunt immenſa corymbi,
Tantum, Neæra, ſi queas
In mea nexilibus proſerpere colla lacertis,
Tali, Neæra, ſi queam
Candida perpetuùm nexu tua colla ligare,
Jungens perenne baſium:
Tunc me nec Cereris, nec amici cura Lyæi,
Soporis aut amabilis,
Vita, tuo de purpureo divelleret ore;
Sed mutuis in oſculis
Defectos, ratis una duos portaret amantes
Ad pallidam Ditis domum.
Mox per odoratos campos, & perpetuum ver

Producceremur in loca,
emper ubi, antiquis in amoribus, Heroinæ
Heroas inter nobiles
ıut ducunt choreas, alternave carmina lætæ
In valle cantant myrtea.
Quâ violiſque, roſiſque, & flavicomis narciſſis,
Umbraculis trementibus,
lludit lauri nemus, & crepitante ſuſurro
Tepidi ſuavè ſibilant
Eternùm Zephyri, nec vomere ſaucia tellus,
Fœcunda ſolvit ubera.
Turba beatorum nobis aſſurgeret omnis,
Inque herbidis ſedilibus,
Inter Mœonidas prima nos ſede locarent;
Nec ulla amatricum Jovis
Prærepto cedens indignaretur honore,
Nec nata Tyndaris Jove.

BASIUM III.

Da mihi ſuaviolum, dicebam, blanda puella:
Libaſti labris mox mea labra tuis.
Inde, velut preſſo qui territus angue reſultat,
Ora repente meo vellis ab ore procul.
Non hoc ſuaviolum dare, lux mea, ſed dare tantum
Eſt deſiderium flebile ſuavioli.

BASIUM IV.

Non dat baſia, dat Neæra nectar,
Dat rores animæ ſuaveolentes,
Dat nardumque, thymumque, cynnamumque,
Et mel, quale jugis legunt Hymetti,
Aut in Cecropiis apes roſetis,
Atque hinc virgineis & inde ceris
Septum vimineo tegunt quaſillo.
Quæ ſi multa mihi voranda dentur,
Immortalis in iis repente fiam,
Magnorumque epulis fruar deorum.
Sed tu munere parce, parce tali,
Aut mecum dea fac, Neæra, fias;
Non menſas ſine te volo deorum,
Non, ſi me rutilis præeſſe regnis
Excluſo Jove, dii deæque cogant.

BASIUM V.

Dum me mollibus hinc & hinc lacertis
Aſtrictum premis, imminenſque toto
Collo, pectore, lubricoque vultu,
Dependes humeris, Neæra, noſtris;
Componenſque meis labella labris,
Et morſu petis, & gemis remorſa,
Et linguam tremulam hinc & inde vibras,
Et linguam querulam hinc & inde fugis,

Digitized by Google

Aſpirans animæ ſuavis auram
Mollem, dulciſonam, humidam, meæque
Altricem miſeræ, Neæra, vitæ:
Hauriens animam meam caducam,
Flagrantem, nimio vapore coctam,
Coctam pectoris impotentis æſtu,
Eludiſque meas, Neæra, flammas,
Flabro pectoris haurientis æſtum,
O! jucunda mei caloris aura!
Tunc dico, deus eſt Amor Deorum,
Et nullus deus eſt Amore major:
Si quiſquam tamen eſt Amore major,
Tu tu ſola mihi es, Neæra, major.

BASIUM VI.

De meliore nota bis baſia mille paciſcens,
Baſia mille dedi, baſia mille tuli.
tpleſti numerum, fateor, jucunda Neæra,
Expleri numero ſed nequit ullus amor.
ıis laudet Cererem numeratis ſurgere ariſtis?
Gramen in irrigua quis numeravit humo?
ıis tibi, Bacche, tulit pro centum vota racemis?
Agricolamve deum mille popoſcit apes?
ım pius irrorat ſitientes Jupiter agros,
Deciduæ guttas non numeramus aquæ.
: quoque cum ventis concuſſus inhorruit aër,
Sumſit & irata Jupiter arma manu,
randine confuſa terras & cærula pulſat,

Digitized by Google

Securus ſternat quot fata, quotve locis.
Seu bona, ſeu mala ſunt, veniunt uberrima cœlo:
Majeſtas domui convenit illa Jovis.
Tu quoque cùm dea ſis, diva formoſior illa,
Concha per æquoreum quam vaga ducit iter,
Baſia cur numero, cœleſtia dona, coërces,
Nec numeras gemitus, dura puella, meos?
Nec lacrymas numeras, quæ per faciemque ſinumque
Duxerunt rivos ſemper euntis aquæ?
Si numeras lacrymas, numeres licet oſcula; ſed ſi
Non numeras lacrymas, oſcula ne numeres.
Et mihi da, miſeri ſolatia vana doloris,
Innumera innumeris baſia pro lacrymis.

BASIUM VII.

Centum baſia centies,
Centum baſia millies,
Mille baſia millies,
Et tot millia millies,
Quot guttæ Siculo mari,
Quot ſunt ſidera cœlo,
Iſtis purpureis genis,
Iſtis turgidulis labris,
Ocelliſque loquaculis,
Ferrem continuo impetu,
O! formoſa Neæra:
Sed dum totus inhæreo
Conchatim roſeis genis,

Conchati

Conchatim rutilis labris;
Ocelliſque loquaculis;
Non datur tua cernere
Labra, non roſeas genas;
Ocelloſque loquaculos,
Molles nec mihi riſus:
Qui, velut nigra diſcutit
Cœlo nubila Cynthius,
Pacatumque per æthera
Gemmatis in equis micat,
Flavo lucidus orbe,
Sic nutu eminus aureo
Et meis lacrymas genis,
Et curas animo meo,
Et ſuſpiria pellunt.
Heu! quæ ſunt oculis meis
Nata prœlia cum labris?
Ergo ego mihi vel Jovem
Rivalem potero pati:
Rivales oculi mei
Non ferunt mea labra?

BASIUM VIII.

Quis te furor, Neæra,
Inepta, quis jubebat
Sic involare noſtram,
Sic vellicare linguam,
Ferociente morſu?

Digitized by Google

An, quas tot unus abs te
Pectus per omne geſto
Penetrabiles ſagittas,
Parum videntur? iſtis
Ni dentibus protervis,
Exerceas nefandum
Membrum nefas in illud,
Quo ſæpe ſole primo,
Quo ſæpe ſole ſero,
Quo per dieſque longas,
Nocteſque amarulentas,
Laudes tuas canebam.
Hæc eſt, iniqua, neſcis?
Hæc illa lingua noſtra eſt,
Quæ tortiles capillos,
Quæ paetulos ocellos,
Quæ lacteas papillas,
Quæ colla mollicella
Venuſtulæ Neæræ,
Molli per aſtra verſu,
Ultra Jovis calores,
Cœlo invidente, vexit:
Quæ te meam ſalutem,
Quæ te meamque vitam,
Animæ meæque florem,
Et te meos amores,
Et te meos lepores,
Et te meam Dionen,
Et te meam columbam,
Albamque turturillam,

Venere invidente, dixit.
An vero, an eſt id ipſum
Quod te juvat, ſuperba,
Inferre vulnus illi,
Quam læſione nulla,
Formoſa, poſſe noſti
Ira tumere tanta?
Quin ſemper hos ocellos,
Quin ſemper hæc labella,
Et, qui ſibi ſalaces
Malum dedêre dentes,
Inter ſuos cruores
Balbutiens recantet?
O! vis ſuperba formæ.

BASIUM IX.

Non ſemper udum da mihi baſium,
Nec juncta blandis ſibila riſibus:
Nec ſemper in meum recumbe
Implicitum moribunda collum.

Menſura rebus eſt ſua dulcibus:
Ut quodque mentes ſuavius afficit,
Faſtidium ſic triſte ſecum
Limite proximiore ducit.

Cum te rogabo ter tria baſia,
Tu deme ſeptem, nec niſi da duo,

Digitized by Google

Utrumque nec longum nec udum ;
Qualia teligero Diana

Dat caſta fratri, qualia dat patri
Experta nullos nata Cupidines :
Mox e meis laſciva ocellis
Curre procul natitante planta.

Et te remotis in penetralibus,
Et te latebris abditam in intimis
Sequar latebras uſque in imas ;
In penetrale ſequar repoſtum :

Prædamque victor fervidus in meam
Utrinque heriles injiciens manus,
Raptabo, ut imbellem columbam
Unguibus accipiter recurvis.

Tu deprecantes victa dabis manus,
Hærenſque totis pendula brachiis,
Placare me ſeptem jocoſis
Baſiolis cupies inepta.

Errabis : illud crimen ut eluam ;
Septena jungam baſia ſepties,
Atque hoc catenatis lacertis
Impediam, fugitiva, collum :

Dum perſolutis omnibus oſculis,
Jurabis omnes per veneres tuas,
Te ſæpius pœnas eaſdem
Crimine velle pari ſubire.

Digitized by Google

BASIUM X.

Non ſunt certa meam moveant quæ baſia mentem:
  Uda labris udis conſeris ? uda juvant.
Nec ſua baſiolis non eſt quoque gratia ſiccis,
  Fluxit ab his tepidus ſæpe ſub oſſa vapor.
Dulce quoque eſt oculis nutantibus oſcula ferre,
  Auctoreſque ſui demeruiſſe mali:
Sive genis totis, totive incumbere collo,
  Seu niveis humeris, ſeu ſinui niveo,
Et totas livore genas, collumque notare,
  Candiduloſque humeros, candidulumque ſinum:
Seu labris querulis titubantem ſugere linguam,
  Et miſcere duas juncta per ora animas,
Inque peregrinum diffundere corpus utramque,
  Languet in extremo cum moribundus amor.
Me breve, me longum capiet, laxumque tenaxque,
  Seu mihi das, ſeu do, lux, tibi baſiolum.
Qualia ſed ſumes, nunquam mihi talia redde:
  Diverſis varium ludat uterque modis.
At quem deficiet varianda figura priorem,
  Legem ſubmiſſis audiat hanc oculis,
Ut, quot utrinque priùs data ſint, tot baſia ſolus
  Dulcia victori det, totidemque modis.

Digitized by Google

BASIUM XI.

Basia lauta nimis quidam me jungere dicunt,
Qualia rugoſi non didicêre patres.
Ergo, ego cum cupidis ſtringo tua colla lacertis,
Lux mea, baſiolis immoriorque tuis,
Anxius exquiram quid de me quiſque loquatur?
Ipſe quis, aut ubi ſim, vix meminiſſe vacat.
Audiit, & riſit formoſa Neæra, meumque
Hinc collum nivea cinxit & inde manu;
Baſiolumque dedit, quo non laſcivius unquam
Inſeruit Marti Cypria blanda ſuo.
Et, quid, ait, metuis turbæ decreta ſeveræ?
Cauſa meo tantum competit iſta foro.

BASIUM XII.

Quid vultus removetis hinc pudicos,
Matronæque, puellulæque caſtæ?
Non hîc furta deûm jocoſa canto,
Monſtroſaſve libidinum figuras;
Nulla hîc carmina mentulata, nulla
Quæ non diſcipulos ad integellos,
Hirſutus legat in ſchola magiſter.
Inermes cano baſiationes,
Caſtus Aonii chori ſacerdos:
Sed vultus adhibent modo huc protervos
Matronæque, puellulæque cunctæ,

Digitized by Google

Ignaræ quia fortè mentulatum
Verbum diximus, evolante voce.
Ite hinc, ite procul, moleſta turba,
Matronæque, puellulæque turpes:
Quanto caſtior eſt Neæra noſtra,
Quæ certe ſine mentula libellum
Mavult, quam ſine mentula poëtam!

BASIUM XIII.

LANGUIDUS e dulci certamine, vita, jacebam
  Exanimis, fuſa per tua colla manu.
Omnis in arenti conſumptus ſpiritus ore,
  Flamine non poterat cor recreare novo.
Jam Styx ante oculos, & regna carentia ſole,
  Luridaque annoſi cymba Carontis erat;
Cum tu ſuaviolum educens pulmonis ab imo,
  Afflaſti ſiccis irriguum labiis:
Suaviolum Stygia quod me de valle reduxit,
  Et juſſit vacua currere nave ſenem.
Erravi, vacua non remigat ille carina,
  Flebilis ad Manes jam natat umbra mea.
Pars animæ, mea vita, tuæ hoc in corpore vivit,
  Et dilapſuros ſuſtinet articulos:
Quæ tamen, impatiens, in priſtina jura reverti
  Sæpe per arcanas mittitur ægra vias;
Ac niſi dilecta per te foveatur ab aura,
  Jam collabentes deſerit articulos.
Ergo, age, labra meis innecte tenacia labris,

Digitized by Google

Aſſidueque duos ſpiritus unus alat :
Donec, inexpleti poſt tædia ſera furoris,
Unica de gemino corpore vita fluet.

BASIUM XIV.

QUID profers mihi flammeum labellum?
Non te, non volo baſiare, dura
Duro marmore durior Neæra.
Tanti iſtas ego ut oſculationes
Imbelles faciam, ſuperba, veſtras,
Ut, nervo toties rigens ſupino,
Pertundam tunicas meas, tuaſque,
Et deſiderio furens inani,
Tabeſcam miſer, æſtuante vena?
Quo fugis? remane, nec hos ocellos;
Nec nega mihi flammeum labellum.
Te jam, te volo baſiare; mollis,
Molli mollior anſeris medulla.

BASIUM XV.

ADDUCTO puer Idalius poſt tempora nervo,
Stabat in exitium, pulchra Neæra, tuum :
Cum frontem, ſparſoſque videns in fronte capillos,
Luminaque argutis irrequieta notis,
Flammeolaſque genas, & dignas matre papillas,
Jecit ab ambigua tela remiſſa manu :

Digitized by Google

Inque tuas curſu effuſus pueriliter ulnas,
Mille tibi fixit baſia, mille modis,
Quæ ſuccos tibi myrteolos, Cyprioſque liquores
Pectoris afflarunt uſque ſub ima tui;
Juravitque deos omnes, Veneremque parentem,
Nil tibi poſt unquam velle movere mali.
Et miremur adhuc cur tam tua baſia fragrent,
Duraque cur miti ſemper amore vaces?

BASIUM XVI.

LATONÆ niveo ſidere blandior,
Et ſtella Veneris pulchrior aurea,
Da mî baſia centum,
Da tot baſia, quot dedit
Vati multivolo Lesbia, quot tulit:
Quot blandæ Veneres, quotque Cupidines
Et labella pererrant,
Et genas roſeas tuas:
Quot vitas oculis, quotque neces geris,
Quot ſpes, quotque metus, quotque perennibus
Miſta gaudia curis,
Et ſuſpiria amantium.
Da, quam multa meo ſpicula pectori
Inſevit volucris dira manus dei,
Et quam multa pharetra
Conſervavit in aurea.
Adde & blanditias, verbaque publica,
Et cum ſuavicrepis murmura ſibilis,

Digitized by Google

Riſu non ſine grato,
Gratis non ſine morſibus:
Quales Chaoniæ garrula motibus
Alternant tremulis roſtra columbulæ,
Cum ſe dura remittit
Primis bruma Favoniis;
Incumbenſque meis, mentis inops, genis,
Huc, illuc, oculos volve natatileis,
Exſanguemque lacertis
Dic te ſuſtineam meis.
Stringam nexilibus te te ego brachiis,
Frigentem calido pectore comprimam,
Et vitam tibi longi
Reddam afflamine baſii:
Donec ſucciduum me quoque ſpiritus
Iſtis roſcidulis linquet in oſculis,
Labentemque lacertis,
Dicam, collige me tuis.
Stringes nexilibus me, mea, brachiis,
Mulcebis tepido pectore frigidum,
Et vitam mihi longi af-
Flabis rore ſuavii.
Sic ævi, mea lux, tempora floridi
Carpamus ſimul: en jam miſerabiles
Curas ægra ſenectus
Et morbos trahet, & necem.

BASIUM XVII.

QUALEM purpureo diffundit mane colorem
Quæ roſa nocturnis roribus immaduit :
Matutina rubent dominæ ſic oſcula noſtræ,
Baſiolis longa nocte rigata meis ;
Quæ circum facies niveo candore coronat,
Virginis ut violam cum tenet alba manus.
Tale novum feris ceraſum ſub floribus ardet,
Aeſtatemque & ver cum ſimul arbor habet.
Me miſerum, quare cum flagrantiſſima jungit
Oſcula, de thalamo cogor abire tuo ?
O ! ſaltem, labris ſerva hunc formoſá ruborem,
Dum tibi me referet noctis opaca quies.
Si tamen interea cujuſquam baſia carpent,
Illa meis fiant pallidiora genis.

BASIUM XVIII.

CUM labra noſtræ cerneret puellæ,
Incluſa circo candidæ figuræ,
Ut ſi quis ornet arte curioſa
Corallinis eburna ſigna baccis
Fleviſſe fertur Cypris, & gemendo
Laſcivientes convocaſſe Amores ;
Et, » Quid juvat, dixiſſe, purpuratis
» Viciſſe in Ida Palladem labellis,
» Et pronubam magni Jovis ſororem,

Digitized by Google

» Sub arbitro paſtore, cum Neæra
» Hæc antecellat arbitro poëta?
» At vos furentes ite in hunc poëtam,
» Et dira plenis tela de pharetris
» In illius medullulas tenellas,
» Pectuſque per, jecurque per jocoſum,
» Diſtringite acres perſtrepente cornu.
» At illa nullo pertepeſcat igne.
» Sed tacta pectus plumbea ſagitta,
» Torpeſcat imas congelata venas.»
Evenit: imis uror in medullis,
Et torrido jecur liqueſcit igne;
Tu fulta pectus aſperis pruinis
Et caute, quales aut maris Sicani
Aut Adriæ unda tundit æſtuoſa,
Secura ludis impotentem amantem.
Ingrata, propter iſta labra rubra
Laudata plector. Heu, miſella, neſcis
Cur oderis, nec ira quid deorum
Effrena poſſit, & furor Diones!
Duros remitte, mollicella, faſtus,
Iſtoque dignos ore ſume mores;
Et quæ meorum cauſa ſunt dolorum,
Mellita labris necte labra noſtris,
Haurire poſſis ut mei puſillum
Præcordiis ex intimis veneni,
Et mutuis languere victa flammis.
At nec deos, nec tu time Dionen:
Formoſa divis imperat puella.

Digitized by Google

BASIUM XIX.

Mellilegæ volucres, quid adhuc thyma cana, roſaſq;
Et rorem vernæ nectareum violæ
Lingitis, aut florem late ſpirantis anethi?
Omnes ad dominæ labra venite meæ.
Illa roſas ſpirant omnes, thymaque omnia ſola,
Et ſuccum vernæ nectareum violæ:
Inde procul dulces auræ funduntur anethi,
Narciſſi veris illa madent lacrymis,
Œbaliique madent juvenis fragrante cruore,
Qualis uterque liquor, cum cecidiſſet, erat,
Nectareque ætherio medicatus, & aëre puro,
Impleret fœtu verſicolore ſolum.
Sed me, jure meo libantem mellea labra,
Ingratæ ſocium ne prohibete favis.
Non etiam totas avidæ diſtendite cellas,
Areſcant dominæ ne ſemel ora meæ,
Baſiaque impreſſans ſiccis ſitientia labris,
Garrulus indicii triſte feram precium.
Heu, non & ſtimulis compungite molle labellum:
Ex oculis ſtimulos vibrat & illa pares.
Credite, non ullum patietur vulnus inultum:
Leniter innocuæ mella legatis apes,

ELEGIARUM
LIBELLUS.
ELEGIA PRIMA.

Pierides, alius dira inter bella cruenter,
Vulneraque ingeminet ſæva, neceſque virûm,
Cujus bis fuſo madefiant ſanguine verſus :
Hei mihi, plus ſatis eſt quam cecidiſſe ſemel!
Nos puerum ſancta volucrem cum matre canamus,
Spargentem tenera tela proterva manu :
Sic ergo ſanti radiantibus adſtitit alis,
Cum face, cum cornu, cum jaculiſque puer.
Fallor an ardentes acuebat cote ſagittas ?
Anxius in vultu jam mihi pallor erat.
Parce tuum, dixi, ferro terrere poëtam,
Caſtra parat dudum qui tua ſponte ſequi;
Imperiumque potens, & regna patentia late,
Quæ te ſpumigena cum Genitrice colunt,
Carmine vocali patrias reſonare per urbes
Aggreditur. Tuus eſt, lædere parce tuum.
Ille nihil motus, lunato fervidus arcu,
Accipe quæ (dixit) multa diuque canas;
Et non ignotæ celebra nunc robora dextræ,
Formaque quid valeat diſce decentis Heræ.
Vix ea perſonuit, ſonuit ſimul arcus, & una
Cum jaculo in venas ſenſimus iſſe Deum.

Digitized by Google

ELEGIA II.

Cum nova naſcenti nerent mihi fata ſorores,
Ducentes fuſis ſtamina tortilibus:
Aureolis puer allapſus Cythereïus alis
Dixit, in hoc puero ſint mea jura mihi.
Fata canam vates, ſacris abſiſtite cunis,
Arbitrio vivat deficiatque meo.
Nec mora, procumbens ſinuoſum curvus in arcum,
Si parere negent, ſpicula dura parat.
Parent, & puerum divæ venerantur, at ille
Demulcens tenera ſtamina dira manu,
Riſit, & Alcides ſpecta hac, fortiſſime, dixit,
Et pudor antiquæ cedat ab ore notæ.
Verba deinde levi recinebat blæſa ſuſurro,
Qualis in arboreis ſibilat aura comis:
[Non equidem audivi, nutrix audiſſe putatur,
Et longum gelido diriguiſſe metu]
PARVE, ſub ignoti lumen ſpirabile cœli
» Edite, cura Deûm, noſtraque cura, puer;
» Parve puer, noſtris mox ſudature ſub armis,
» Hæc præcepta meæ ſuſcipe militiæ.
» Cum tibi vernantes ætas exurget in annos,
» Curre lubens dominæ mite ſub imperium.
» Hæc tibi continget, thalamis quæ digna Deorum
» Divûm te nitidis anteferet thalamis;
» Quæ tibi poſtponet quicquid legit India rubro
» Gurgite, felici gramine quicquid Arabs;
» Quæque tibi gemmis, & regum carior auro,

Digitized by Google

» Ingenio vivax ſurget in aſtra tuo,
» Caſtalioque tibi promens argentea fonte
» Pocula, formoſa porriget ipſa manu.
» Illius e claris me ſæpe ſtupebis ocellis,
» Vibrantem occultas in tua corda faces;
» Spicula ſtringentem tacito lethalia nervo,
» Ut venit ignota fulminis ira via.
» Parve quid, heu, lacrymis infantia lumina turgent,
» Et concuſſa tremens horror in ora venit?
» Tempus in hæc aliud, puer, o! dulciſſime, differ,
» Cum tibi tot cauſæ, cur lacrymeris, erunt;
» Quotve ſub arboribus, primis aquilonibus anni,
» Flavet deciduis triſtis ager foliis;
» Quotve per excultos hortos, in vere rubenti,
» Decuſſis zephyro floribus albet humus.
» Sed tam nil durum, quod non tolerantia vincat,
» Et magnum afflictis mentibus ingenium.
» Victa ſoporatum dabit in tua brachia collum,
» Collaque languenti cinget amata manu;
» Oſculaque, & quidquid ſupereſt poſt oſcula dulce,
» Noctibus in longis continuabit amans.
» Ergo jucundo patiens inſiſte labori,
» Nec malus in portu deſere nauta ratem;
» Vulnificiſque emiſſum oculis haurire venenum,
» Alternaſque oculis diſce movere faces.
» Diſce gradum mediis ſuſpenſum ferre tenebris,
» Et per dilectas ire, redire vias;
» Et rigidos cithara poſtes mollire per umbram,
» Sertaque cantatis addere cardinibus,
» Dum nocturna tibi demulſerit aura calorem,

Digitized by Google

» Et matutinæ collachrymentur aves.
» Diſce levi varias nutu conferre loquelas;
» Diſce verecunda voce diſerta loqui:
» Qualia me docuit, per me tamen ante peritus,
» Naſo, Tomitana non tumulandus humo,
» Quem mihi rectorem laſcivos mater ad annos
» Legerat effrenæ conſcia nequitiæ.
» Ille quidem famam Pelignis auxit amando;
» Tu quoque cum Belgis non inhonorus eris;
» Nec te longa premet caligo mortis opacæ,
» Nec teget obſcuro te vetus urna loco.
» Quæ fax ante tuis ſtridebit inuſta medullis,
» Hæc faciam cineres luceat ante tuos:
» Tu modo ſemper ama, nec te tædebit amorum;
» Dulcius his noſtri nil habet aula Jovis.
» Sæpe quidem infenſus noſtris fuit ille ſagittis;
» Et, memini, nuper dira minatus erat,
» Arcumque & pharetram fregiſſet: at optima mater
» Noſtra ſub arbuſtis condidit arma Paphi.
» Mox tamen ille ferox ter mille per oſcula ſupplex
» Oravit de me vulnus habere novum.
» Quid Tyrius ſine amore torus? quid menſa Falerno
» Uda? quid auratis nixa domus trabibus?
» Quid juvat Aſſyriis in odoribus elanguentem,
» Seu ſopor ad citharas, ſeu leve murmur aquæ?
» Omnia nil ſine amore juvant, ſed amore ſecundo
» Et ſopor in dura blandus humo trahitur.
» Omnis & Aſſyrium tellus aſpirat amomum,
» Et vincunt humiles tecta ſuperba caſæ.
» Nil tibi ſit terræ tractus aut dicere cœli,

Digitized by Google

» Tethyos aut tumidas rauca ſonantis aquas;
» Quidve per occaſum, quid ſignent aſtra per ortum,
» Quæque teneat medium, ſumma vel ima, locum:
» Neu cantare tui victricia Cæſaris arma,
» Progenies matris ſit licet ille meæ;
» Sed faciles elegos lento deducere verſu,
» Qui valeant noſtram vincere mollitiem.
» Tunc ego te croceis evectum ad ſidera pennis,
» Parnaſſi ſiſtam culmine conſpicuum:
» Quem tibi ſi Pæan, ſimul & ſua ſerta negabit,
» Monte Cytheriaco myrtea ſerta geres. »
Hæc ter Amor cecinit, Parcæ aſſenſere canenti:
At Venus excelſo riſit ab Idalio;
Et natum miti venientem fovit in umbra,
Quaque odor è nardo, quaque odor è caſia;
Eque roſa Zephyri vitales imbuit auras
Gramen, & irriguas palpitat inter aquas.

ELEGIA III.

Siquis erit juvenum, dominæ qui turpe putabit
Vincula in ingenuo pectore ſerva pati,
Ille quidem certe quid ſit Venus ignea neſcit,
Et nondum veris incaluit facibus:
Illius obriguit glaciali frigore pectus,
Qui tam dulce pati ſervitium renuit.
Non oneroſa mihi, non eſt formoſa pudori,
Formoſas dominas Jupiter ipſe tulit.
Eheu, quam mea me cœca face Julia torret!

Non ſic aſſiduis ignibus Aetna calet;
Nec tanto venas conſumitur aridus æſtu
Mole ſub Aetnea conditus Enceladus:
Sic igitur primo juvenis furibundus in igne,
Cui jecur ignoto læſit Amor jaculo.
Nos tamen hanc lentè, cum ſit formoſa, feramus,
Et demus victas vincla ſub arcta manus.
Scilicet eſt aliquid ſpecioſo carcere claudi,
Et juvat aurata compede poſſe premi.
Illa mihi leges victrix præſcribat, & in me
Regia formoſis ſceptra gerat manibus.
Illius imperio ventos patiemur & imbres,
Ibimus & ſolas nocte ſilente vias;
Nec grave frigus erit, nec Solſtitium, licet in me
Fervidus ingeminet ſidera ſicca puer.
Illa volet comitem ſibi me quocunque, ſequemur
Qua via nulla rotæ pervia, nulla rati.
Illa meas torret, & torreat uſque medullas,
Prompta tibi ſint hæc ſpicula, ſancte puer.
Nec mihi deficiat calor hic hiemantibus annis,
Nec me cum tenebris obruet atra dies.
Tunc detur tremulis manibus complectar ut illam,
Et fugientem inter baſia fundam animam,
Quæ tunc purpureis labris remorata reſiſtet
Forſan, & incœptum læta redibit iter;
Spernet & Elyſias ſedes, vallemque beatam,
Præ tam mellitæ baſiolis dominæ.

Digitized by Google

ELEGIA IV.

MAIUS alit frondes, Maio, ſine fronde virenti
  Ire nefas: mos hoc, lux mea, priſcus habet.
Ergo, age, certemus: tibi, me ſine fronde reperto,
  Munus quod niveum pectus adornet, erit.
Corporis, o! felix illa quod ſede fruetur,
  Cujus ab aſpectu gaudia mille fero.
At tibi lex hæc ſit, folii viridantis ut orba;
  Oſcula cogaris mox dare pauca mihi;
Oſcula quæ poſſint fugientem ſiſtere vitam,
  Reſtet ubi nullis ſpes medicaminibus,
Pallidulamque animam Stygiæ ſubducere lintri,
  In non conceſſas & revocare vias.
Sic ego: depreſſo ſic lux mea retulit ore
  Pauca, ſed argutis multa loquens oculis:
Baſiaque, & mea quo jurabis baſia vinci,
  Accipies aliquid, ſi modo victor eris.
Dixit, & os avidum roſeo mihi molliter ore
  Preſſit; &, hoc cape nunc, cetera victor, ait.
Victor ero certè, nec opem Cytheræa negabis,
  Si tua, ſi nati numina ſancta colo.
Tunc ego laſcivæ potero contendere viti,
  Quæ ſe vicinis implicat arboribus.
Nec me hederæ varius ſuperabit in ilice nodus,
  Brachia erunt collo ſic mea nexa meæ.
At vos purpurei reges ignoſcite victi:
  Riſus erunt veſtræ tunc mihi divitiæ.

Digitized by Google

ELEGIA V.

Una meas igitur verſabit femina curas,
  Unaque mî riſus, unaque fletus erit?
Una mihi dulces facies moderabitur annos
  Quos mihi Perſephone non volet eſſe diu?
Nam ſeu dura meos illa adverſabitur ignes,
  Seu facilem ſeſe dat mihi, morte premor.
Nec mihi vita poteſt duci ſub amore ſiniſtro,
  Inter mortales nec locus eſſe Deo.
Sed potius moriar te te, mea vita, tenendo;
  Inque tuos humeros funera noſtra cadant.
Funera de tereti melius pendentia collo,
  Quam ſi ſublimi de trabe nexa forent:
Qualis Anaxaretes faſtum puer ultus amarum,
  Flebile compreſſa fauce pependit onus.
Exitus aut ſic eſt, aut ſic ſperandus amanti:
  O! natum triſti ſidere quiſquis amat!
Sed tamen in melius hæc nomina triſtia vertent
  Lumina, ſidereis quæ mihi pro facibus,
Aſpectu læto, torva ſeu luce, negantque,
  Dantque frui vita, dantque, negantque mori.
Quæſo, negate mori, vitam date lumina, quæſo:
  Non ſum de cujus morte triumphus eat.
Labra columbatim committe corallina labris,
  Nec vacet officio linguave, denſve ſuo.
Et mihi da centum, da mitia baſia mille;
  Da ſuper hæc aliquid, lux mea, numen ero.
Nec ſuper hæc aliquid, nec vis dare baſia pauca,

Digitized by Google

Labra nec humidulis continuare labris;
Notaque nec dentis, nec ſunt tibi prælia linguæ,
Exſuperas Latias & tamen ore nurus.
Quas ſuperas facie, jam jam ſuperabis & arte,
Dent modo Dî noſtris verſibus eſſe fidem.
Nos neque Chaonii vincet laſcivia nidi,
Nec Jovis omnivoli delicioſus amor.
Nam tibi quid profit faciem corrumpere rugis?
Hæ venient fronti, nec mora longa, tuæ.
Quidve ſuperciliis oculos onerare nitentes,
Nec tota nigras ſpargere fronte comas?
Tempus erit, carioſa ſpecu cum lumina condes,
Canus & in gelido vertice crinis erit.
Tunc fruſtra labris pallentibus oſcula quæres,
Atque aliquem obtuſis figere luminibus.
Nulla corona tuos ornabit florida poſtes,
Cantabit muto limine nullus amans.
Quin potius dum fata ſinunt, & nigra ſororum
Stamina, verque viret nobile, carpe roſas:
Quæ niſi carpentur, languebunt ſponte, cadentque,
Et ſtabit lapſis ſpina inhonora roſis.
En tibi qui tecum redolentia munera carpet,
Tecum florentes & parat ire vias.
Sparſa Dionæo viridaria rore teremus,
Viſemuſque hortos, Flora decora, tuos.
Illic & violas, & purpureos Narciſſos
Decerpes teneris molliter unguiculis.
Ipſe tibi nectam vario de flore corollas,
Imponamque tuis, Julia, temporibus.
Jamque ſub umbroſa recubabis languida myrto,

Digitized by Google

Et modo me celeri læta ſequere pede.
Jamque colorata provolvar lentus in herba,
Et modo te celerem per loca læta ſequar.
Interea has flammas mihi ſi duplicarit eunti
Invidus aurata Cynthius e ſpecula,
Tu tu, ſola meis jucunda caloribus aura,
Humida de roſeis flamina funde labris:
Quæ ſuſcepta mei fornacibus oris anheli
Uſque ſub ambuſti pectoris ima meent,
Reſtinguantque rogum, quem nec vaga flumina terræ,
Tota nec exhauſti frigeret unda maris.
Lumina cui ſervas aurum jaculantia purum,
Cui teretes digitos, artificemque pedem?
Faſcia lacteolis cui ſtat diſtenta papillis?
Cui riſus, & cui mollia verba paras?
Cujus diſpoſitus nutritur crinis in uſum?
Oſcula felicis cujus erunt domini?
Ilicet ingrato ſervaveris omnia nautæ,
Lethæam veteri qui rate verrit aquam.
Hujus ab amplexu venies ad baſia Ditis,
Maxima tergeminæ cura timorque deæ.
In te turba ruent ævi violenta prioris,
Luminibuſque cavis, pallidduliſque genis,
Et Paris, & Theſeus, & non bene fidus Jaſon:
Hæc veniet formæ maxima fama tuæ.
Quare ne tibi ſit tanti regalibus umbris
Poſſe frui, ut vivus ſim tibi vilis ego.
Te juvet in noſtris poſitam languere lacertis;
Me juvet in gremio, vita, cubare tuo;
Et cum ſuaviolis animam deponere noſtris,

Digitized by Google

Eque tuis animam ſugere ſuaviolis.
Sive meam, lux, ſive tuam, (ſed ſit tua malim)
Ipſe tuo ut ſpirem pectore, tuque meo.
Tali vernantem ſatiemus amore juventam:
Mors venit æterna cincta caput nebula.
At vos qui juvenes ſuſpiria noſtra notatis,
Et fractos oculos, & ſine mente gradum,
Ebria ridentes nullo cum pondere verba,
Et ſi quis ſubito venit in ora color:
Poſtmodo dicetis, non infeliciter arſit,
Præmia cum noſtri nota laboris erunt.

ELEGIA VI.

NUNC mihi Praxitelis digiti, nunc Mentoris eſſent
Nunc Lyſippeæ, Phidiacæque manus!
Julia namque meo ſculpi cupit aurea cælo,
Nec tantùm in libris nomen habere meis.
Non ego ſum, fateor, cœleſtem effingere formam
Qui valeam, at Dominæ ſpernere juſſa nefas.
Non ego te, mea lux, faciam de marmore duro,
Illa decet rigidum materies animum:
Quin & cæla tuos formabunt aurea vultus,
Non facit ad molles ferrea lima genas.
Jam jam fama meis major venit artibus, ipſam
Sculpere mî videor cœlicolam Venerem.
Sed dum te video, & propius tua lumina ſpecto;
Æmula Phœbeis lumina luminibus:
Ferre negant oculi jaculantem ſpicula vultum,
Cælaque

Digitized by Google

Cælaque nota negat languida ferre manus.
Deficit & torpet, nec jam ſibi conſcius artis
Ullius eſt animus, nec memor ipſe ſui.
Ah! nulli fas eſt mortali effingere divas:
Mens cadit, obſtupeo, heu! & mihi ſurripior.

ELEGIA VII.

Insidiose puer, maternis ſævior undis,
Hacne tuus vates fraude petendus eram?
Tu mihi juſſiſti, numeris levioribus irem,
Aſſumpſi faciles ad tua juſſa modos;
Materieſque mihi curvato venit ab arcu
Longa, ſub undenos digna venire pedes.
Vix opus incœpi, Dominam, puer improbe, tollis,
Ducis & externas in mea regna manus;
Et nunc ille venit diverſa ruſticus urbe,
Prætendens ſancti fœdera conjugii,
Scilicet ut diris faciat ſponſalia verbis:
Impediant illi picus, & anguis iter,
Et cornix inimica viis, & limine primo
Sentiat offenſi ſigna ſiniſtra pedis.
Quæ ſi non poſſunt illum terrere, quod opto,
Accipiat, divi quod monuere, malum;
Subque rota ponat odioſam in pulvere vitam,
Multaque projecti viſcera carpat avis;
Aut mergatur aquis, & monſtra natantia paſcat:
Quanta deo pelagi tunc ego dona feram!
Sic nec in amplexus veniet, nec in oſcula noſtræ

L

Eque tuis animam ſugere ſuaviolis.
Sive meam, lux, ſive tuam, (ſed ſit tua malim)
Ipſe tuo ut ſpirem pectore, tuque meo.
Tali vernantem ſatiemus amore juventam:
Mors venit æterna cincta caput nebula.
At vos qui juvenes ſuſpiria noſtrâ notatis,
Et fractos oculos, & ſine mente gradum,
Ebria ridentes nullo cum pondere verba,
Et ſi quis ſubito venit in ora color:
Poſtmodo dicetis, non infeliciter arſit,
Præmia cum noſtri nota laboris erunt.

ELEGIA VI.

NUNC mihi Praxitelis digiti, nunc Mentoris eſſent
Nunc Lyſippeæ, Phidiacæque manus!
Julia namque meo ſculpi cupit aurea cælo,
Nec tantùm in libris nomen habere meis.
Non ego ſum, fateor, cœleſtem effingere formam
Qui valeam, at Dominæ ſpernere juſſa nefas.
Non ego te, mea lux, faciam de marmore duro,
Illa decet rigidum materies animum:
Quin & cæla tuos formabunt aurea vultus,
Non facit ad molles ferrea lima genas.
Jam jam fama meis major venit artibus, ipſam
Sculpere mî videor cœlicolam Venerem.
Sed dum te video, & propius tua lumina ſpecto,
Æmula Phœbeis lumina luminibus:
Ferre negant oculi jaculantem ſpicula vultum,
Cælaque

Cælaque nota negat languida ferre manus.
Deficit & torpet, nec jam ſibi conſcius artis
Ullius eſt animus, nec memor ipſe ſui.
Ah! nulli fas eſt mortali effingere divas:
Mens cadit, obſtupeo, heu! & mihi ſurripior.

ELEGIA VII.

INSIDIOSE puer, maternis ſævior undis,
Hacne tuus vates fraude petendus eram?
Tu mihi juſſiſti, numeris levioribus irem,
Aſſumpſi faciles ad tua juſſa modos;
Materieſque mihi curvato venit ab arcu
Longa, ſub undenos digna venire pedes.
Vix opus incœpi, Dominam, puer improbe, tollis,
Ducis & externas in mea regna manus;
Et nunc ille venit diverſa ruſticus urbe,
Prætendens ſancti fœdera conjugii,
Scilicet ut diris faciat ſponſalia verbis:
Impediant illi picus, & anguis iter,
Et cornix inimica viis, & limine primo
Sentiat offenſi ſigna ſiniſtra pedis.
Quæ ſi non poſſunt illum terrere, quod opto,
Accipiat, divi quod monuere, malum;
Subque rota ponat odioſam in pulvere vitam,
Multaque projecti viſcera carpat avis;
Aut mergatur aquis, & monſtra natantia paſcat:
Quanta deo pelagi tunc ego dona feram!
Sic nec in amplexus veniet, nec in oſcula noſtræ

L

Digitized by Google

Improbus, & ſceleris gaudia nulla feret;
Et juvenes alios violenta ſorte monebit,
Vatum deliciis non temerare manus.
At tu, ſive tuos ignes tranſmittis in illum
Julia, ſive magis te tua fata trahunt:
Infelix nimis, & querulo mihi carmine flenda es,
Cogeris ignoto quæ comes ire viro,
Et te captivis hominum miſcere catervis,
Eque brevi verbo ferre perenne malum.
Ah! poteras, lux, ah! poteras jus dicere nobis.
Oreque formoſo regia verba loqui;
Inque meo verſu ſublimia regna tenere,
Prima fidis noſtræ gloria, ſerus honos;
Inque puellarum, quas olim carmine vates
Laudavere pii, nomen habere choro:
Qualis quæ falſo Naſoni dicta Corinna eſt,
Deliaque, & Nemeſis, & bene culta comam
Cynthia formapotens, necnon tua, Galle, Lycoris,
Quarum immortalis forma perennè viret.
Digna quoque hæc facies, quæ carmine longa videre
Secla, nec in cineres omnis abiret, erat:
Ut ſciret noſtros ætas ventura furores,
Et tam formoſam non violaſſe fidem;
Et culti juvenes, non incomptæque puellæ,
Expertæ dulcem militiam Veneris,
Myrtea ſerta tuo ferrent violaſque ſepulchro,
Diceret atque aliquis: SIT tibi terra levis;
Et poterant aliquid noſtræ præſtare Camenæ,
Fata niſi obſtarent, & malè fauſtus Hymen.
Non quia Virgilio primos conceſſit honores

Poſteritas, Flacci ſprevit iniqua lyram;
Aut male rejecit, quem protulit Umbria, vatem,
Sola cui longum Cynthia carmen erat.
Peligni vivent opera ingenioſa poëtæ,
Rectorem nato quem Venus ipſa dedit.
Nec te longa dies delebit, culte Tibulle,
Ignibus atque arcu dum potietur Amor.
Noſtra quoque adveniens ſi non his inſeret ætas
(Quod ſperare pudor ſit mihi, ſitque nefas),
Non tamen obſcura damnabit nomina nocte.
Fallor? an hoc olim mî dea pollicita eſt,
Fragrantem quæ nexa comam, myrtoque decora
Vadit inæquali conſpicienda pede?
Quam bene priſcorum currebat vita parentum,
Ingenuæ Veneris libera ſacra colens!
Nondum conjugii nomen ſervile patebat,
Nec fuerat divis adnumeratus Hymen.
Paſſim communes exercebantur amores
Omnibus, & proprii neſcius orbis erat.
Enſe maritali nemo confoſſus adulter
Purpureo Stygias ſanguine tinxit aquas;
Anxia non tenuit cuſtodis cura puellam,
Nulla erat inviſis clauſa domus foribus;
Nec ſacer agricolis ſtabat lapis arbiter agro,
Trabſque procelloſum nulla ſecabat iter.
At poſtquam domibuſque fores, foribuſque ſubivit
Clavis, & æquoreas navita ſprevit aquas,
Non dubitans animam tenui concredere ligno,
Externas fragili puppe ſecutus opes;
Diſcretique novo jacuerunt limite campi,

Digitized by Google

Indixit leges & ſibi quiſque novas:
Scilicet ex illo ſenſit fera jura, jacetque
Clauſa pedem dura compede ſerva Venus.
Mortales ſceleri leges præſcribite veſtro,
Innocuam vinclis nec cohibete deam.
An quia Lemniacis ſemel eſt eluſa catenis,
Digna erit a vobis quæ graviora ferat?
Tempora, ſi fas eſt, iterum primæva redite,
Falciferoque iterum ſub Sene mundus eat.
Inſcia tunc raſtri, tunc vomeris inſcia curvi,
Sponte ſua ſegetem terra benigna feret;
Et repetent iterum deſertas numina terras,
Et fruar, o! longum tutus amore meo.
Interea qui falce meas invadere meſſes
Auſus es, ut voto jam potiare tuo:
Aſſiduis verſuta dolis te rideat illa,
Nec tibi componat ſe, faciemque ſuam;
Sed juvenum gregibus ſtudeat formoſa videri,
Sic miſer, & nulli commiſerandus eris.
Quippe nec indignum feciſſe putabitur illi,
Si fugit amplexus bella puella tuos:
Si fugit hanc faciem qualem Medæa gerebat,
In natos gladio cum ruitura ſtetit.
Hanc tamen illa poteſt pacato cernere vultu,
Nec ſpuit? obducta nec tegit ora manu?
Hanc ſpectare potes? corpus potes illud amare
Julia? ſed capitur, dicis, amore mei.
Non ardenter amat, & amat non dignus amari,
Et ſunt mille alii, quos tua forma rapit.
Jamque diem video properantem, cum tuus illi

Et gravis aſpectus, & grave nomen erit.
Julia, tum lentas producens frigida noctes,
Optabis noſtras in tua colla manus.
Julia, non veniam : veniet, querulumque ſubibit
Ille, peregrino laſſus amore, torum:
Et tecum, mea lux, meliori digna cubili,
Vallatus denſa veſte jacebit iners.
Tunc potes æternis hoc unum poſcere votis,
Ut properent longas fata tibi tenebras.
Parcite fata tamen : formoſas perdere crimen ;
Gloria vos alia de nece magna manet.

ELEGIA VIII.

Ergo dies venit, qua ſe formoſa mariti
Dedit in æternum Julia ſervitium !
Qua noſtras aliò cogar traducere flammas,
Qua delenda animo eſt illa adamata mihi,
Quantum nulla fuit, quantum nec amabitur ulla,
Seu me vita brevis, ſeu diuturna manet!
Jamque peregrinæ committit fœdera dextræ,
Fœdera quæ divi jam violata volunt ;
Mox dapibus, levibuſque dies peragenda choreis,
Et ſine me tota eſt, tota ſit atra, precor.
Phœbe, coloratum, ſi te bene credimus olim
Eſſe ſacris patrem vatibus, abde caput.
At tu tela manu jaculare coruſca rubenti
Jupiter : hac ſola luce ſit alba dies.
Tuque Jovis conjux, quantùm connubia cures

Talia, demiſſis amnibus ipſa doce.
Fallimur? an certè condit ſua Cynthius ora?
Condit, & obſcura nocte teguntur agri:
Præcipitantur aquæ, mare pendet in aëre denſum;
Ignibus excuſſis diſſiluere poli.

ELEGIA IX.

PETRE ſodalitii pars ſinceriſſima noſtri,
Felix Maclinia cui licet urbe frui.
Me tenet Auguſti celebris Bruxella triumphis,
Fontibus æternas quæ jaculatur aquas.
Hîc mihi nec deſunt, gratiſſima turba, poëtæ;
Nec quibus a lingua divite venit honos,
Quorum poſteritas operoſo grata labori
Nomina ſub longa luce videnda dabit.
Hîc veterumque manus animato miror in ære;
Subque meum aſpectum turba togata venit;
Multaque quæ gentis æquant miracula priſcæ,
Quæ modo Romulidum dædala mittit humus.
Scilicet argutis urbs hæc me ponit Athenis,
Scilicet hîc media ſiſtor in Auſonia.
Mille vel hîc oculos poſſunt retinere, vel aures:
Nulla tenent aures, nulla tenent oculos.
Non queat hoc alius præter te credere quiſquam,
Forte nec ipſe queas credere, crede tamen.
Nimirum noſtri jampridem conſcius ignis,
Una geris mecum pectore tela tuo.
Unius ex oculis fax eſt accenſa puellæ,

Digitized by Google

Qua jecur Idalius torret utrique puer.
Quæ tua ſi forſan leviter præcordia lambit,
(Quam tibi duritiem pectoris eſſe putas?
Mî neque lux, neque mî noctis levat umbra dolorem:
Uror, & in venis flebile vulnus alo.
Semper in abſentes ſuſpiro mœſtus amores,
Inque cupidineæ mœnia Macliniæ. (1)
Illa ſed abſceſſit, peregrino juncta marito,
Quâ volvit virides in mare Scaldis aquas;
Abſceſſit, doleo: quid tum? veſtigia reſtant,
Et loca quæ nobis gaudia longa dabant;
Et ſi iſthic fuero, fuero vicinior illi.
Eſſe putas hæc tu ludicra? magna loquor.
Tum quam multa foro nova ſiſteret eſſeda veſper,
Noxque rates tarda ſera referret aqua,
Ipſe rates omnes audax ſpeculator obirem,
Cunctaque defixis eſſeda luminibus:
Si quæ forte meam mihi redderet hora puellam,
Seu vectam Veneris ſuave ſonante rota,
Seu raptam tereti vada per cryſtallina concha,
Seu lapſam roſeo Cypridis è gremio.
Nam neque te retinet conjux tuus, aut tibi longis
Noctibus incumbit, Julia, pondus iners.
Te Venus Idalios inter fovet aurea lucos,
Et Venerem geminam nunc locus ille colit.
Suppoſuit pro te ſcortillum turpe marito,
Afflavit vultus cui decus omne tui:
Barbarus ingratis illam complexibus urget,
Teliger intactam te mihi ſervat Amor.

(1) Malines en Flandre.

His ego ſolarer curas, dum tempora nobis
Tarda fluunt, ægras inter amarities.
Hoc quoque (nam poteris plures admittere cauſſas)
Viſere Macliniam cur properemus, habe.
Inter finitimas, experti credimus, urbes
Illa ſibi formas vindicat, illa daret
Forte novas flammas, veteres quæ pellere poſſint.
Hei mihi! ſed vereor, (dî prohibete malum)
Ne calor hic alia poſſit conſiſtere ſede,
Hactenus hunc certe Julia ſola tenet:
Candida quantumvis, & non deformior illa,
Et verſatilibus ebria luminibus,
Sæpe meos oculos in ſe Domitilla moretur,
Oſcula quæ facilis ad mea ſponte venit.

ELEGIA X.

Ite procul mœſtum lacrymæ genus, ite querelæ,
Et comes aligeri cura vigil pueri:
Cinge triumphantes victrici fronde capillos
Laurea Phœbeæ grata corona comæ.
Miſit in amplexus illam Venus aurea noſtros,
Prima mihi quæ fax, quæ mihi ſerus amor.
Non fora, non portus, non jam populoſa theatra;
Templaque ſunt noſtris conſcia blanditiis.
Mater abeſt, digitis legem quæ ponat & ori,
Et cogat tremulo murmure pauca loqui;
Oſculaque aridulis non continuanda labellis
Carpere, quæ juret barbara, quiſquis amat;

Digitized by Google

Et celare faces, & amici obtexere nomen,
Multaque quæ ſolers fingere diſcit amor.
Sola jacet mecum ſemoto Julia lecto,
Sola tamen ſolos non ſinit eſſe Venus,
Et puer, unanimes comitatus in omnia vitas,
Certus & exanimes, certus & oſſa ſequi.
Forte vident & nos, qui ſpectant omnia, Divi,
Delitiis noſtris invidioſa cohors.
Di precor, o! noſtris ne luſibus invideatis,
Non ego nunc veſtris luſibus invideo.
Julia, te teneo, teneant ſua gaudia Divi.
Te teneo, mea lux, lux mea, te teneo:
Julia te teneo, Superi teneatis Olympum.
Quid loquor? An vere, Julia, te teneo?
Dormione, an vigilo? vera hæc, an ſomnia ſunt hæc?
Somnia ſeu ſunt, ſeu vera, fruamur, age.
Somnia ſi ſunt hæc, durent hæc ſomnia longùm,
Nec vigilem faciat me, precor, ulla dies.
Et quicunque meo pones veſtigia tecto,
Parce pedum ſtrepitu, comprime vocis iter.
Sic tibi non unquam rumpant inſomnia galli,
Tardaque productæ tempora noctis eant,
Plurima cum rubris tibi gemma legetur ab undis,
Pactolique domus tota liquore fluet.

ELEGIA XI.

Hos tibi, ſancte puer, primos ſacravimus ignes,
Has tibi primitias dedico, ſancta Venus:

Digitized by Google

Dî, quorum noſtri vivent ſub nomine verſus,
Sæpe colenda Venus, ſæpe colende puer,
Hactenus optato dant indulgere furori
Et mos, & leges, purpureuſque pudor;
Hactenus &, credo, vos me voluiſtis amare;
Jamque mihi jaculi ferte medentis opem;
Et quod inaurati terebratum cuſpide teli
Sollicitum toto pectore vulnus hiat,
Sentiat arcanas obtuſa in arundine vires,
Mox dolor, & queſtus, & labor exul eat;
Halitibuſque increta meis ſuſpiria, cumque
Languida ſpinoſo cura ſatellitio.
Tunc ego vos dicam mitiſſima numina divûm,
Ipſe deum ſine queis rex quoque triſtis erit.
Corque geram veſtris ſemper penetrabile telis:
En patet in vulnus pectus inerme novum.
Non ego deſertor fugio quæ caſtra ſequebar,
Abſecuit longas ſpes properatus Hymen:
Ah! Hymen, genus Uraniæ, cur Theſpia rupes
Non te detinuit, lympha nec Aonia?
Cum te nigra dies inviſa ad ſacra vocabat,
Et pactum infauſtis conjugium alitibus;
Ipſa ubi Tiſiphone tædas a funere raptas
Ferali tenuit, omina dira, manu.
Nonne fuit ſatius cantus haurire ſororum,
Cernere vel, ſacræ quà fluit humor aquæ,
Veſte deas poſita teretes abſcondere ſuras,
Quam miſeram turpi dedere ſervitio?
Et me, cui Cypris tot baſia mitis alebat,
Exturbare meæ brachiolis dominæ?

Digitized by Google

Quæ nunc in longa raucefcens mœſta querela,
  Diſcit amatoris omina vera ſui.
Heu! quæ non longo meditabar gaudia ductus,
  Unde nihil, præter ſomnia vana fero!
Sic ſegete ex viridi flavas præſumit ariſtas
  Ruſticus, atque animo jam ſua vota metit:
Vota quibus miſerum grando fraudabit & imber,
  Seu validi flatus, fulmina ſive Jovis.
Sed quid ego toties fatis contendere pergo,
  Quæ non mutandis ſtant rata limitibus?
Te puer, o! puerique parens, Jove nata Dione,
  Solvite me ingratis ſollicitudinibus.
Et mihi, ſi merui, nocituras demite flammas,
  Ne ſim famoſis fabula porticibus;
Vinoſaſque meo producant nomine menſas,
  Ignorentque malum compita nulla meum;
Et, ſi quando novo pallentem afflabitis igne,
  Efficite ut miſerum me juvet eſſe diu.
Et mihi felices extendant gaudia curas,
  Dum veniant capiti candida fila meo;
At, quocunque mei tabeſcent lumine vultus,
  O! ſaltem poſſim dicere: Talis erat
Nobile quæ parvo nomen ſortita libello,
  Prima meæ ſpolium Julia mentis habet.
Interea hos elegos, primi monimenta caloris,
  Accipite, & riſum jungite cum gemitu,
Dicentes: Noſtri pars hic quoque parva triumphi eſt.
  Semper amet, dulci ſemper amore fruens.

ELEGIA XII.

Cui damus hos elegos ? tibi qui legis iſta libenter;
Cui micat in læta fronte ſerena Venus.
Seria qui curas, procul hinc age ſeria, ferri
Nos ſine quo pueri jura volantis agunt.
Tempora quam longum jucundo florida vere
Stant, neque nix atris crinibus ulla venit,
Et Nymphæ, & Charites, & capripedes Silvani,
Et ſilvæ, & virides ſint mihi carmen aquæ;
Et Venus, & Veneris lateri laſcivus adhærens,
Gaudia qui curis dulcia miſcet Amor.
Cum glacialis hiems calidos extinxerit æſtus,
Naturæ libeat tunc mihi ſcire vias,
Immenſumque ſuis ſectum regionibus orbem,
Quæque malum ſpondent ſidera, quæque bonum.
Non ego Virgilii manes Acheronte ciebo,
Florida ſacrato ſerta ferens tumulo.
Per me Mæonides ſecura dormiet urna,
Aſcræo cineri victima nulla cadet.
O ! tantum faveas Umbri levis umbra poëtæ;
Cynthia ſi noſtro ſemper in ore ſonat.
Tu caput hoc circum pennis allapſa ſonoris,
Ter ſtrepe, procumbens ter bona verba canam.
Deinde ubi Panchæo fumaverit ara vapore,
Placatum Lethes & mihi numen erit:
Aſperſam lactis niveo te rore remittam,
Cynthia ne charo vate ſit orba diu.
Ignavæ tenebræ, longique oblivia ſecli,

Digitized by Google

Quæſo ſoporiferas hinc cohibete manus:
Hunc etiam Veneris ſervat tutela libellum,
Hunc etiam ſacra luſtrat Amor facula.
Si tamen iſta cadent ſenio defecta caduco,
Et fiet nomen litera trita meum:
Æquiùs occumbam, ſi poſt mea fata, ſuperſtes
Nicoleos frater vixerit, aut Marius.
Vatis amor vates, germani gaudia fratres,
Carmine fas veſtro ſit ſupereſſe mihi.
Ingenioſe Mari, ventura in ſecula tecum
Me tua cymba vehat, non grave pondus ero:
Cymba, renidentem qua mutet Cypria concham,
Quamque columbino præferat ipſa jugo.
At tu formoſas Dryadeſque & Naïadas inter
Rure tuo ſedem da mihi Nicoleos.
Tu divina canis Serrati culmina montis,
Is tibi monſtravit primus in aſtra viam;
Laurigeroque cavas ferienti vertice nubes
Ad juga Parnaſſi jam leve fecit iter.
Barbarus ad ripas nuper te Cynga canentem
Audiit antiqui delicias Latii:
Narciſſum vitrei morientem fontis ad undam,
Florem de riguis purpureum lacrymis;
Omnes ut puerum ſuſpiravere puellæ,
Omnes ut puerum deperiere deæ;
Ut puer inſtantes ſprevit per rura puellas,
Ut puer errantes per nemora alta deas;
Quarum, quæ flammis arſit gravioribus Echo,
Cantibus, applauſit, diva canora, tuis.
Ipſe tuos numeros tenebris audivit ab imis,

Digitized by Google

Uritur & proprio jam magis igne puer.
Nec ſpeculum Stygiæ modo conſulit amplius undæ,
Emicat in verſu pulchrior ille tuo.
His allecta modis pridem ſuperaſſe putatur
Læta Pyrenæas Calliopæa nives.
At tibi pro merito felix Hiſpania lauros
Virgineas hortis ſeligat Heſperiis;
Et tibi Cyngiades intexant ordine Nymphæ
Narciſſos lentæ puniceos hederæ.

ELEGIA XIII.

Tempore cur dicto ceſſas, Venerilla, venire?
Ecce tibi torus eſt, ecce parata Venus:
Qualem Tyndaridi, ſpacioſa per æquora raptæ,
Tutus in Iliaca ſolvit adulter humo.
Ipſa Venus violis, & puniceis Amaranthis,
Et totum Cyprio ſparſit odore torum.
Ipſe torum face luſtravit flammante Cupido,
Tranſiliens agili candida fulcra pede.
Quid ceſſas formoſa? tuum ſic ludis amantem?
An magis exiguo tempore diſcrucias,
Obſequio ut meliore moram laſciva repenſes,
Dilatuſque avida mente bibatur amor?
Ah! nimium mihi tarda, & tarda tardior hora,
Quàm malè dinumeras tempora, quæ numero!
Sed cur dinumeres, cum malis fallere amantem?
Forſitan hæc aliis hora parata fuit.
Dumque ego blanditiaſque tuas, & roſcida mente

Oſcula percipio, multiplicesque vices;
Dum vacuum falſis complexibus aëra capto,
Dum mea in abſentes porrigo colla manus;
Et, quemcunque movet ſtrepitum levis aura per ædes,
Dilectos dominæ ſuſpicor eſſe pedes:
Demulces alium tepido perjura cubili,
Cum quo diſperdas gaudia pacta mihi.
Forſitan & de me, teneros motura cachinnos,
Miſcetur veſtris fabula nequitiis.
Hei! quid in immeritam tam turpia crimina fingo!
Credo equidem, faciles jam movet illa gradus;
Jamque pedem thalamis ponet cultiſſima noſtris.
Fallor? an in noſtro limine latrat Hylax.

ELEGIA XIV.

Flammeolis, mea lux, oculis cum cuncta peruras,
Frigidius Scythica cur nive pectus habes?
An malus ille puer, terror matrique, Jovique,
Quod tam formoſa es, lædere te metuit?
Non metuit certè, tales amat ille triumphos,
Et formoſarum vulnere ſemper ovat.
Lumina ſed radiis tua non cedentia Phœbi
Idalias hebetant diſcutiuntque faces.
Ille dolet, rubor ora calens puerilia ſignat:
Vix, o! vix lacrymas lumina torva tenent.
Lente puer, matrique pudor rediture dolenti,
Mitte facem, jaculis hæc tibi præda venit.
Aut ſi formoſum non vis transfigere pectus,

Candida ne livor membra cruorve notet,
Extinctas faculas dominæ ſub lumina mitte,
Illa iterum flammas quas rapuere dabunt.
Mox ubi languidulam carpet nocturna quietem,
Clauſerit atque illi ſidus utrumque ſopor:
Ignaram totis furtim ſuccende medullis,
Hauriat & longum corde tepente malum.
At tibi ſi monitis venit victoria noſtris,
Sancte puer, vatem mitius ure tuum.

ELEGIA XV.

Cara meum gelida feriit nive Lidia pectus:
Dicebam flammis hæc, puto, tela carent.
Nec caruere tamen, ſub aqua latuere favillæ,
Flammaque per venas ſtillat aquoſa meas.
Hei mihi! ſecuri qua declinabimus ignem,
Frigore duratas ſi metuemus aquas.
Frigore fax nata eſt, tolletur frigore nullo,
Sperandum ſimili de face frigus erit.
Sume pares ignes, miſerumque levabis amorem,
Lidia, frigoribus ſemper acerba noces.

ELEGIA XVI.

Non tam mite mihi pectus natura dediſſes,
Calcaret noſtrum nulla puella caput:
Nec paterer toties tumidi ludibria vultus,

Digitized by Google

Iratiſque oculis oſcula blanda darem;
Rivalemque meum domina laudante probarem,
Adſtrictus turpi ſedulus obſequio.
Dura puella, puella meis indigna Camœnis,
Alpinis animum frigidior nivibus:
Ementita tuæ facio præconia formæ,
Ut qualis non ſis eſſe putere mihi.
Te laudo vates, laudatam amplectitur alter
Barbarus, & noſtros arrigit ad numeros.
Aſpicio fractoſque oculos, & colla notata
Dentibus, & quaſſo non bona ſigna toro.
Diceris interea, fateor, caſtiſſima nobis,
Multaque narramus de probitate tua.
Tu quoque, mentitum ne me rear, ore pudico
Reſpuis uſque meas dura Neæra preces:
Cumque aliis toto pateat tua janua poſte,
Multus & è foribus laſſus amator eat,
Uni caſta mihi perſtas: hæc præmia vates
Debita pro falſo munere vanus habet.
Heu crudelis Amor, tuque, o! crudelior illo,
Sive hoſtis, ſeu non, pulchra Neæra tamen!
Tempus erit certè, curis cum liber amaris,
Excutiam veſtras deſpiciamque faces.
En mihi jam ſilices, en circum pectora ferrum
Naſcitur, & vinco vos quoque duritie,
Infidum genus, ah! nuper mea cura, puellæ,
Mentis pernicies inſidioſa bonæ.
Non ego vos poſthac humili prece lentus adibo,
Aſperaque obtutu verba feram tacito;
Læſus & a vobis, læſas vos eſſe fatebor,

Et placatrices ipſe feram lacrymas;
Contemptuſque ſuperba pedes ad limina cogam
Invitos, pereat quem juvat iſta pati.
Dura Neæra, Neæra meis indigna Camœnis,
Alpinis animum frigidior nivibus!
Non ego, cum veniet pallæ melioris amator,
Quælibet abſcondam juſſus in antra caput:
Scilicet ut poſſis, divis jurare vocatis,
Per caput illius, perfida, perque tuum,
Illi te viduas intactam ducere noctes,
Et tritum nullis limen habere viris.
Non ego, cum veniet loculi gravioris amator,
In famulas vertam baſia noſtra tuas:
Scilicet ut ridens dicas, ignoſce protervo,
Inſanit famulæ captus amore meæ.
Hæc quicunque poteſt nullo perferre dolore;
Idem Caucaſeas & tolerabit aves:
Syſiphii gaudens provolvet pondera ſaxi,
Tantaleæ ſitiens non inhiabit aquæ.
Ille premet gemitum concluſus in ære Perilli,
Nec det mugitus machina fumificos.

ELEGIA XVII.

Saucius Aligeri languebat arundine quondam,
Moxque necis gelidæ ſpicula ſenſit amans:
Corpore in exſangui reſtabant tela duorum,
Hæc vulſura ſuum venit, & ille ſuum.
Vulſit Amor nigrum ſcelerata cuſpide ferrum;

Digitized by Google

Heu ! quid agis ? non ſunt hæc tua tela, puer.
Spicula mors ſumpſit manibus radiantia furvis,
Ceſſit in aërias & malè ſana vias.
Nec mora, digreſſi repetunt lacrymabile munus,
Ille ſuos quærit, quærit & illa ſuos.
Miſſa peregrinis ſparguntur vulnera nervis;
Et manus ignoto ſævit utrinque malo.
Irrita mors arcus validi molimina damnat;
Plorat Amor teneras tam valuiſſe manus;
Donec, fallaci repetito ſæpius ictu,
Erroris ſenſit crimen uterque ſui.
Fœdabant juvenes primas in pulvere malas,
Oſcula quas, heu ! ad blanda vocabat Amor.
Canities vernis florebat multa corollis,
Perſephone crinem vulſerat unde ſibi.
Quid facerent ? falſas procul abjecere ſagittas;
De pharetra jaculum prompſit uterque novum.
Res bona, ſed virus pueri penetravit in arcum:
Ex illo miſeros tot dedit ille neci.

ELEGIA XVIII.

Si qua venit ſummo poſitis in culmine rerum,
Illa ruina ſuo pondere magna venit.
Mitius infelix accuſat fata colonus,
Arida depoſitum ſi male ſolvit humus;
Quam ſi, maturis quæ jam flavebat ariſtis,
Succumbat pluviis imbribus atra ſeges.
Cum rudis a primo religavit litore funem

Digitized by Google

Nauta, necaturas lenius haurit aquas;
Idem, permenſo patriam ſi viderit orbe,
Canaque navifragis fluctibus ora tegat,
Heu! quæ non tumida jactat convicia lingua
Cæruleis nymphis, cæruleoque patri!
Expertus queror, ah! mendaci luſus amore,
Non minor eſt illis noſtra querela malis.
Urebat formoſa meas Juſtina medullas,
Digna Jovis thalamis, ſed magis apta mihi.
Candor erat, qualem Veneris flos albus habebit,
Purpureo Bacchi ſi natet in latice.
Lumina fulgebant nitidis æquanda lapillis,
Quos niger Eoa colligit Indus aqua:
Illorum ex acie torſit nova tela Cupido,
Pluſque, ait, hæc noſtris arma furoris habent.
Vera Deus monuit, ſed enim, quia dignior illa
Nulla fuit titulum cladis habere meæ,
Suſtinui indomitas objecto pectore flammas,
Senſus & ex tanto vulnere parvus erat.
Sic aliquis, Bacchoque animum furiatus & ira,
Sumpſit ubi attonita fervidus arma manu,
Irruit in gladios, & centum vulnera paſſus,
Viribus infractis acer ab hoſte redit.
Abſtergens tepidos & pro ſudore cruores,
Quàm ſentire queat, conſpicit ante malum:
Donec ſucciduo tellurem poplite quaſſans
Corruit, & fuſo ſanguine vita fluit.
Repit amor ſenſim totos infuſus in artus,
Suſcitat ut magnos parva favilla rogos.
Pallorem noſtri jam mirabantur amici,

Digitized by Google

Demiſſoſque oculos, inſtabilemque gradum:
identes gemituſque meos, & inania verba,
 Roranteſque novo ſæpe liquore genas;
lec mihi luce graves aberant neque nocte dolores;
 Nec mihi grata Ceres, nec mihi Bacchus erat.
rita lucebant obſcuro ſidera mundo,
 Cynthius obducta nube premebat equos;
t ſine fronde frutex, & erat ſine gramine campus;
 Et ſine lucenti fons inamœnus aqua.
mbra levis tantum noſtro de corpore manſit,
 Inter & exſtinctos annumerandus eram.
ola ſuis Juſtina oculis pulcherrima vitam
 Reddebat muto, lenè tuens, cineri.
audia tunc luceſque mihi nocteſque ferebant,
 Grataque erant Cereris munera, grata meri.
lurea fulgebant rutilanti ſidera mundo,
 Formoſus croceos Phœbus agebat equos;
ronde frutex viridi, vernabat gramine campus,
 Et pellucidula fons ſaliebat aqua.
loc eſt infandum quodcunque vocatur amare,
 Sollicita alternis gaudia cum lacrymis.
lec fuit auxilio, quod mitigat omnia, tempus,
 Mutavit flammas nec via longa meas.
ld fines veni Latios, glebamque feracem,
 Vectus Tyrrheni per freta Thuſca maris:
ulſatus raucis ubi vocibus Appenninus
 Sæpe tulit queſtus in freta ſurda meos.
uſtriacos vidi populos, ubi maximus Iſter
 Cantatas gemino nomine volvit aquas.
uin etiam Hungaricæ me conſpexêre ruinæ

Digitized by Google

Flentem, non miſeri triſtia damna ſoli;
Non furias hoſtis vicino Marte cruenti,
Tædia difficilis nec ſinuoſa viæ;
Sed faſtus, Juſtina, tuos, ô! durior illis
Cautibus, æterna quas nive tundit hyems.
Hinc quoque Belgarum populoſas vectus ad oras,
Unica cum nato quæ Venus arva colit,
Centum candidulas vidi per compita formas,
Omneis innocuis, lux mea, luminibus.
Eſt aliquid ſervare fidem: miſerata doloris
Reddidit Heſperiæ me Citherea meæ.
Tu quoque *fidorum* jam non ignara caloris,
Cœpiſti noſtris victa dolere malis;
Atque aliquid ſentire meis adfine favillis,
Damnans longa tuæ tempora duritiæ.
Nec mora, jam cingenda dabas formoſa lacertis
Colla, dabas blando murmure baſiolum.
Et quiddam haud tacitis permittens majus ocellis,
Languebas fuſa per mea colla manu.
Hora brevis poterat conjungere molliter ambos,
Et dare concordi gaudia plena toro.
Baſia nexilibus dum jungimus humida linguis,
Dum volat huc illuc miſſa proterva manus;
Et ſine mente oculi volvuntur utrinque ſalaces,
Dulciaque ad Veneris ſacra paratur iter:
Ecce, pedem thalami feralem in limine ponens
Improba propoſitum Larvia rupit opus.
Det tibi, triſtis anus, inopem Cytherea ſenectam,
Et ſero lacerum torreat igne jecur.
Nec tibi contingat turpes ſatiare furores,

Semper at indomitæ more feraris equæ.
t, quæ tam ſanctos violarunt lumina amores,
Non unquam placida feſſa tegantur humo;
la ſed ante rogum rabidi canis ira revellat,
Spargat deſertis & lacerata locis;
olligat illa furens, magicaſque exuſta per aras,
Carmine ſacrilego dira fatiget anus.

ELEGIA XIX.

LECTULE, qui domini lentum ſine compare dulci
Pondus habes, nullis conſcie deliciis:
leu! quæ torpentem ſomno me ſemper inerti
Impoſuit fulcris ſors inimica tuis!
ignus es, & certè mecum felicior eſſes,
Afflaret ſi me lenis, ut ante, Deus:
ive meo facilis penderet Julia collo,
Julia fervoris prima favilla mei;
ltera ſeu mecum longas variaret in horas
Labra columbinis roſcida baſiolis,
ifficilis nimiùm, nimiúmque infida Neæra,
Nec meritò numeris nobilitata meis;
eu quæcunque meis verſaret in oſſibus ignem,
Digna toro facies, digna furore meo.
on ego dedecori fierem tibi, Lectule mollis;
Sponda veternoſum nec tua ferret onus:
on Venerem malles nudo cum Marte jacentem
Dulcia nec varii furta fovère Jovis.
unc triſtes unà toto tabeſcimus anno,

Digitized by Google

Inque parem ſortem te mea fata trahunt.
Mollis Amor, terræque, puer, cœlique voluptas,
Quæque volas concha per freta ſumma levi,
Languida qui blandis mordeꝛis pectora curis,
Unde patens aër, unda, ſolumque vigent:
Cur nos tam miti cruciatis pectore vates,
Aut nullo miſeros, aut in amore malo?
Optabam, memini, cùm nuper amore vacarem,
Veſter in hanc animam ne foret ignis iners:
Hæc mihi quàm multos peperit vox una dolores!
Traditus indignæ præda fui dominæ.
Illa tribus didicit ter eamdem vendere noctem
Improba, & excluſis ſola cubare tribus;
Dicere, jam venias, venientem fallere, ſeque
Eſſe domi clauſa diſſimulare ſera.
Scit bene qua juvenis, ſcit qua moderatior ætas,
Et qua delirus ducitur arte ſenex.
Quum voluit, peritura quatit ſingultibus ora,
Et tepido lætas irrigat imbre genas.
Quamvis munera amat, non proſunt munera danti,
Sed tantùm longi ſunt mala vincla mali.
Qui dedit, hunc veteres inter faſtidit amantes,
Qualis in everſa ſtat vetus æde Deus.
Qui modò dat, nimiùm novus eſt, neque dignus, ut illis
Præferat hunc, junxit quos ſibi priſca fides.
Semper habet cauſas cur munera poſcat amantem,
Semper habet, noctem cur dare lenta neget.
Nam modò formoſus puer eſt venturus ad illam,
Ignea cui niveo fulget in ore roſa;
Levia cui nulla ſordeſcunt inguina pube,

Scilicet

Scilicet effecit quem modò prima virum :
Et modò in alterius ſe jurat amore perire,
Nec vacuum ad flammas pectus habere novas :
Et modò tam nota nullum de plebe ſalutat,
Ut ſemel eſt nervum experta tribunitium.
Sæpe gravem capitis cauſſatur pallida morbum,
Sæpe nova ſignat religione diem.
Sæpe dolet, fictamque ruens igneſcit in iram,
Baccha repentinis ut furit acta ſacris.
Ilicet, exhauſtis loculis diſcedit amator ;
Ilicet, egregius jam ſubit ille puer,
Curva labaſcenti frangens veſtigia nixu,
Dixiſſet Pylius quem, puto, Neſtor avum :
Uda ſub hirſuta torpent cui lumina ſilva,
Herniaque effœtis pendet ab inguinibus.
Tolle tuas artes, nimiùm cognovimus iſta.
Simpliciùs poteras dicere : « VADE foras,
» Et gravis es nobis, & ſunt tua munera parva,
» Et nimiùm vera quæris amare fide ».
Si tamen haud fallit Phœbi cortina poëtas,
Et ſacer ætheriis vatibus ardor ineſt :
Sera tibi veniet faſtus vindicta ſuperbi,
Ætatis teneræ crimina flebis anus ;
Cùm tibi cœlatum laxis, pulcherrima, rugis
Luridus inficiet pallor anile caput ;
Conductamque trahens tremebundo pollice lanam,
Involves fuſo ſtamina longa gravi.
Aſpiciet lacrymas ridens Erycina ſeniles,
Et levis excuſſa plaudet Amor pharetra ;
Et juvenes omnes, & me tua probra juvabunt,

Lux, precor, o! fato ſit prior illa meo.
Tunc ego candentis, Venus o! formoſa, columbæ
Ante tuas aras viſcera pura feram.
Interea flammis jecur hoc melioribus ure,
Dum res, & vitæ tempora verna ſinunt.
Me recreet placidi tranquilla Cupidinis aura;
Sit procul ex animo turbida cura meo.
Me jocus, & riſus juvet, incertique penates;
Me lyra, me calices, me roſa tincta mero;
Me ſine nube dies, & me ſine nocte tenebræ,
Et ſine nox tenebris, & ſine dote torus;
Rixa vacans odiis, & nullo vulnere bellum,
Et matutino victa ſopore Venus.

ELEGIA XX.

Somne, tenebroſæ Necis ignaviſſime frater,
Et tantùm vanis dulcis imaginibus:
Parce meæ dominæ natitantes claudere ocellos,
Noctis promiſſæ dum brevis ora fluit.
Pacta mihi eſt, non, Somne, tibi: cur improbe pennis
Subrepens tacitis in bona noſtra volas?
Deſine, ſi pudor eſt, onerare amplexibus atris
Membra Pyrenæa candidiora nive.
Te ſibi, deſerto ducens ſuſpiria lecto,
Noctibus in viduis multa puella vocat.
Te vocat enervis conjux formoſa mariti
Plurima, & inſtanti gaudia nulla negat.
Tunc obſcura putas tua, laſciviſſime, furta,

Digitized by Google

Immunis quorum nulla puella fuit?
Parva licet matris caris indormiat ulnis,
Et rudis, & nulli contemerata viro,
Te tamen experta eſt reſolutis ægra medullis,
Et fruſtra matris muta vocavit opem.
Cuncta patent tibi, Somne, cubilia formoſarum:
Nocte brevi vigilet, ſcilicet, una mihi.
Ipſa negat tibi ſe, cubitoque innixa ſupino
Erigitur, noſtrum labitur inque ſinum.
Sed rurſum nitidos oculos devicta remittit,
Fractaque anhelantes vox cadit in gemitus.
Quid faciam mea lux? quo te medicamine tangam,
Ut ſopor iſte tuo defluat ex animo?
Nam neque ſubducam lapſuro brachia collo,
Nec tibi ſtridenti voce moleſtus ero;
Nec digitis vellam digitos tibi, nec pede duro
Urgebo ſuras, marmoreumque pedem.
Uda papavereo detergam lumina ſucco,
Sive meis oculis, ſeu magis ore meo;
Inque tuum mœſtus flectam ſuſpiria nomen,
Muſſabo magicis carmina lecta ſonis,
Quæ mihi, Theſſalici quondam doctiſſima ritus,
Nocte relucenti commemorabat anus,
Cùm me, cuſtodes calcans ſecura jacentes,
Virginis intactum detulit in thalamum.
Phryxæam vigilans ſervabat bellua lanam,
Servabat vigilans aurea mala Draco:
Tu quoque fac vigiles, juvenem complexa virentem,
Delicias rapiat ne qua puella tuas.
Somnus abit, ſenſi; leviori pectus amatum

Jam gravat illa mihi pondere, ſomnus abit.
Jam fas eſt majore ſono cantare, novumque
Mittere recluſas carmen in auriculas.
Nondum Luna teres tetigit faſtigia cœli
Ardua, fraternis diſſita luminibus:
Tu tamen à pigro jamdudum immortua ſomno,
Turpe toro pondus, me vigilante, jaces.
Nil agimus: jam ſe dedet ſecura quieti,
Norit ubi roſeum tam procul eſſe diem.
Hoſpitis Oceani ſpumoſa cubilia linquit
Phœbus, & ardentes in juga cogit equos.
Sidit Athlantæas Phœbi germana ſub undas,
Obtundunt aciem ſidera victa ſuam;
Terque dedit lucis ſignum criſtata volucris,
Tu tamen aſſiduo preſſa ſopore jaces.
Uxores jaceant ſic, deformeſque puellæ,
Quæque parant laſſis tædia fœda viris.
Tu mecum longa ludas, licet, o! mea, nocte,
Et mecum longa delicioſa die.
Inclinata ſopor nunquam mea lumina ſolvet:
Qui dormit, ſecum non habet ille ſuam.
O! nunc, o! vigiles, illud ne protinus addam:
Quæ dormit, ſecum non habet illa ſuum.
Hoc non admittes in te, dulciſſima, crimen,
Somnus jucundis jam fluet ex oculis.
In niveo lapſos formavit pollice crines,
Lumina permulſit ſemirecluſa manu;
Et mihi baſiolum ſtrinxit trepidante labello,
Quale viro in ſomnis nulla puella tulit.
Jam dormiſſe decet, jam te formoſior ipſa es,

Digitized by Google

Mollior ex oculis jam tibi flamma venit.
Sic, ubi nocturnos rupit Tithonia ſomnos,
Purpureum flavo fundit ab ore decus.
Sic nitet ambiguo Titan gratiſſimus ore,
Cùm ſe non totum nubibus exeruit.
Talia per denſos myrti Latonia ramos
Dejicit in tremuli lumina fontis aquam.
Nunc licet intonſi veniat ſub imagine Phœbi
Somnus, Athlantiadis vel gerat ora Dei;
Exemplove Jovis, liquido nitidiſſimus auro
Diffluat, aut niveo tectus olore gemat:
Spernet Apollineos præ me Venerilla capillos,
Mercuriique genas, Mercuriique lyram;
Excludet gremio croceæ ludibria guttæ,
Et fruſtra ad thalamos dulcè queretur olor.

ELEGIA XXI.

ÆQUORA ſulcabat picta Venus aurea concha,
Cui comes ardenti cum face natus erat,
Aliger, aligera miſcens fera bella ſagitta:
Illius latè pontus ab igne calet.
Senſerunt piſces infectas æquoris undas,
Nereideſque imis delituêre vadis.
Ad magni tandem venerunt oſtia Scaldis,
Divertit curſus quo Dea ſancta ſuos.
Excipit, & matrem ſenior veneratur amorum,
Naïades glaucæ concomitantur heram.
Jamque ſuum divæ felix Antuerpia portum

M iij

Pandit, & alliciunt mœnia clara deam.
Quæ poſtquam viridi religavit ab arbore concham,
Divinum magna ponit in urbe pedem.
Ponè ſubit puer arcitenens, acuitque ſagittas,
Inflectitque arcus, cui dea mater ait:
« Nunc age, tinge, puer, caſto tua tela veneno,
» Formoſa eſt vati danda puella meo.
» Grudius, Heſperia nuper benè cognitus ora,
» Narciſſi miſeras dum caneret lacrymas;
» Cæſareaſque aquilas per funera mille ſecutus,
» Scriberet arcanis dum ſacra juſſa notis;
» Ad patrios rediit amiſſa conjuge Belgas,
» Impatiens vidui tædia ferre tori.
» Jamque etiam tædas hac ambit in urbe jugales:
» Digna meo res eſt, digna favore tuo.
» Ille meas dulci decantat carmine laudes,
» Et noſtrum latè prorogat imperium.
» Urbs hæc formoſas nutrit cultaſque puellas,
» E quibus eſt vatis dignior una toro;
» Quæ tantùm reliquas formæ præcellit honore,
» A forma quantùm vincitur ipſa mea».
Dixerat, at rutilis ſubitò ſecat aëra pennis,
Virgineumque Deus labitur in thalamum;
Lectaque Gnoſiaca depromit tela pharetra,
Figit & in tenerum ſpicula caſta jecur.
Rurſus & æthereas pennis ſublatus in auras,
Ad juvenem motis venit Amor facibus,
Atque ait: « O! noſtras toties experte ſagittas,
» Hoc quoque ſupremum non grave vulnus habe».

ELEGIA XXII.

CAROLE jucundos potuiſti linquere amores,
Terribileſque tubas, & fera bella ſequi?
Crede mihi, non eſt armorum gloria tanti,
Ut fleat ulla tuas mœſta puella vias.
Siccine ſperaſti vitare Cupidinis arcus,
Martia ſanguinea dum capis arma manu?
Falleris, abſentes major premit æſtus amantes,
Nullaque ſollicito prœlia amore vacant.
Deſeruit carum numquam Venus ignea Martem,
Nec timet in caſtris accubuiſſe Deo.
Cæſareas acies in primis diva tuetur,
Æneæque genus, progeniemque ſuam.
Tu licet extremos properes bellator ad Indos,
Ad latus uſque tuum callidus ibit Amor:
Induet & galeam, ſuraſque includet in ære,
Et ſparget tenera tela cruenta manu.
Difficile eſt pugnare Deo: quo longiùs ibis,
Erronem tanto duriùs uret Amor.
Inque acie media, dum fulgurat ægide Mavors,
Occurret dominæ triſtis imago tibi.
Tum pugnæ oblitus, Martemque exoſus acerbum,
Malles in molli bella movere toro.
Ah! pereat duros primùm qui protulit enſes!
Ille fuit ferro durior ipſe ſuo.
Ille autem ſcelere ante alios immanior omnes,
Tormenti invenit qui genus arte nova
Infandum, horrendum, dirum, tremuêre quod ipſæ

Digitized by Google

Eumenides, & rex horruit ipſe Erebi.
Quâ ruit, occumbunt urbes, ſilvæque tremiſcunt,
Turbatique ſonat regia vaſta maris.
Non ſic irata jaculatur fulmina dextra,
Nec tonitru cœlum Jupiter omne quatit.
Excutit ingentes immani pondere moles,
Involvens fumo nigricolore diem.
Quid falſo innocuum tonitru Salmonea damnas
Jupiter? iſte tuo fulmine dignus erat.
At tibi dent, fama clarum, ſpoliiſque ſuperbum,
Ad patrios Superi poſſe redire lares:
Ut votiva Deûm ſuſpendas munera templis,
Armaque, & ereptas hoſtibus exuvias.

ELEGIÆ SOLEMNES TRES,

Conſequentibus tribus poſt adamatam Juliam annis, menſe Maio Cupidini dedicatæ.

ELEGIA SOLEMNIS I.

Tempus adeſt iterum, quo ſtat pulcherrima tellus,
Effundens variis germina ſeminibus.
Nigreſcit viridi velata cacumine ſilva,
Garrula flebilium carmine Dauliadum.
Illa ſonans tremulùm Zephyro ſpirante, viroris
Tempora conqueritur non diuturna ſui.
Ipſa novo Cytheræa choros agit aurea menſe,
Nuda coronatas inter Hamadryadas;
Quas inter medias tenero pede gramina pulſat

Candidus in crocea veſte protervus Amor.
Hæc ſacris noſtræ ſemper ſolemnia Muſæ
Tempora, Dî magni ſic voluiſtis, erunt:
Sive peregrinum via me deducet in orbem,
Sive ſub ignoto ſidere pontus aget.
Hic etenim noſtros primùm palleſcere vultus
Menſis, & evinctum vidit acerba pati;
Aligerique faces oculis greſſuque fatentem
Ire vacillanti per loca ſola pede;
Et dominæ ſervare fores, pluviaſque moleſtas,
Et ſævas Boreæ non timuiſſe minas.
Vidit & ille idem carpentem gaudia mille
Lenibus ex oculis mollè tuentis heræ.
Ergo, puer, venis hominum qui ſpicula tingis,
Inferis & mœſtis gaudia lacrymulis,
Hæc affixa cape maternæ carmina myrto:
Annua quæ ſemper, ſis modò mitis, erunt.
At vos, florenti, juvenum grex floride, Maio,
Genſque puellaris delicioſa chori:
Non intellectum dum ver fugit, & fugit ævum,
Ludite, jam glaciem bruma niveſque feret;
Canaque ſubrepet taciturnis paſſibus ætas,
Morſque tenebroſa nube revincta caput.

ELEGIA SOLEMNIS II.

Et cœli facies, & rerum mitis imago,
Pictaque, quæ vario flore renidet, humus;
Pendulaque obſcuris diſtincta umbracula ſilvis,

Blandaque ſylveſtres quæ movet aura comas;
Antraque cum Satyris fuſæ per opaca Napeæ,
Et puer arcitenens & Venus ipſa monet,
Adventare meis iterum ſolemnia ſacris.
I, puer, unguentum fer mihi, fer violas.
Vina coronatis ſpument nigrantia menſis,
Nec ſine multiplici ſtet mihi flore caput.
Impoſitæ fronti mecum languete corollæ,
Ad latus accedat fuſca puella meum;
Quæ nigris oculis & nigro crine decora,
Antiquæ memorem me facis efficiat;
Nec pejora meis infigat baſia labris,
Serpat in amplexus nec minùs apta meos,
Quàm quæ prima ſuis victum me cepit ocellis,
E faſtu referens prima trophæa meo.
Vos quoque, Pierides, ad tempora læta vocatæ,
Fundite concordes ore favente ſonos.
Primus ego ingredior, nullo de more, ſacerdos
Annua nequitiæ ponere ſacra meæ.
Tranſeat hic, poſitis immota per aëra ventis,
Et ſine nube dies, & ſine ſole gravi.
Tranſeat hic totus ſine ſollicitudine menſis,
Hei mihi! de Maia qui malè nomen habet.
Vel Veneri dominæ, vel, ſi ſibi legit Aprilem,
At puero Veneris debuit eſſe ſacer.
Quamvis Maia Jovi jucundo cognita furto
Formoſum peperit candida nympha deum,
Inſignem nervis, inſignem voce diſerta,
Conſpicuumque genis, conſpicuumque coma,
Ille velit mecum materno applaudere menſi,

Digitized by Google

Implicitus multa tempora flava roſa;
Ebriaque in longa ducens veſtigia palla,
Argutum facili pollice pulſet ebur:
Quem circumſiliens huc illuc crure protervo,
Laſcivus domito vate triumphet Amor;
Atque eadem gravida depromat tela pharetra,
Quæ primùm venis irrubuere meis.
At petulante ferox inſultans voce jacenti,
Verſet in aſpectu ſpicula nota meo.
Tunc ego commonitus juratum ſolvere votum,
Perficiam toto ſacra jocoſa toro.
Hæc quoque quæ cecini, ne quid ſolemnibus abſit,
Suſpendam myrti carmina de foliis,
Quæ ſtrepitent teneris ac ſuſpirantia ramis,
Pulſa ſuſurranti leniter a Zephyro.
Accedet verſus: « VATES tuus, alme Cupido,
» Hæc tibi pro miti dedicat imperio ».

ELEGIA SOLEMNIS III.

ILLE ego, qui Maio ſolemnia carmina menſe
Suſpendi templis, ſancte Cupido, tuis,
Cùm melior tellus meliore in amore teneret,
Mulcentem tepido pectore dulce malum:
Numquid ab hac poteram liber deſiſtere cura,
Rejectus dulci tam procul a patria?
Tam procul antiquo infelix diviſus ab igne,
Qui primùm noſtris oſſibus incaluit?
Quin etiam, te auctore, graves expertus amores

Cùm fuerim, & dominæ regna ſuperba novæ:
Quum mihi crudeli faceret ludibria vultu
Inſultans capiti torva Neæra meo:
Certè ego ſi pacto juratus ſtare recuſem,
Unde petam veniam, vel tua mater erit.
Illa ſua fixum conſervat in arbore carmen,
Annua devovi quo tibi ſacra puer:
Dum mihi manſuetas afflares leniter auras.
Durus ades, duro frigeat ara deo.
An, mea ſi Libycas navis ditaverit undas,
Aurea Lædeis dona feram pueris?
Aut, ego ſi moriar longinquis exul in oris,
Decernam reduci ſacra opulenta Jovi?
Abnuat hoc hæres, &, ſi ſub judice certet,
Turpiter a cauſa Jupiter ipſe cadet.
Ultrices igitur tædas metuemus, & arcum,
Plus quàm fulminei fervida tela patris?
Jupiter ignoſcas, cedunt tua ſceptra nepoti,
Et trifidum pueri ſub face fulmen habet.
Illius æternis halabunt templa corollis,
Undabit pecudum ſanguine pingue ſolum;
Maſcula ſudabunt verbenæ thura peruſtæ,
Et focus in vivo ceſpite ſemper erit.
Ipſe ego, nude puer, ſignum tibi nobile ponam,
Quale Cnidus matri ſervat aquoſa tuæ.
Aureus in nivea ludet cervice capillus,
Aurea cum fulva tela dabo pharetra.
Penna duplex humeris auro radiabit, & arcus
Ille nocens: Parium cetera marmor erunt.
Proxima ponetur, nec erit tibi, ſancte, pudori,

Vatis amatoris Julia ſculpta manu.
Interea roſeo demus ſua carmina Maio;
Sæpiùs ut remeans floreat ille mihi.
Maius alit flores, Maio pulcherrimus annus
Vernat, Acidaliæ gaudia Maius alit;
Spem ſegetis, ſpem Maius alit florentis Iacchi,
Spes, memini, quondam fovit & ille meas.
Et primos miſeri gemitus audivit amantis,
Et primas lacrymas vidit, & indoluit.
Tunc Zephyrum ſocias mecum miſcere querelas,
Quà tremit ignotis umbra ſub arboribus;
Et tepidum lacrymas juſſit ſiccare cadentes
Solis ad afflatum, ros uti vernus abit.
Maie, decus men*ſium*, paſtorum, Maie, voluptas,
Dives opum, terræ luxuriantis amor:
En tibi cum puero communia ſacra volucri,
En tibi purpurea ſpargitur ara roſa;
Et nova cantamus ſolemni carmina plauſu,
Quæ tibi, parve puer, quæ tibi, Maie, damus.
Adſis & faveas, florum dea verſicolorum:
Te roſa, te violæ, te thyma canà vocant.
Narciſſus tibi ſuave rubet, tibi lilia fulgent,
Candida virginea lilia carpta manu;
Omnia dotales olim quæcunque per hortos
Nutrit amatoris fertilis aura tui.
Ecce tibi noſtri cedit pars tertia ſacri:
Linque tuos hortos, diva jocoſa, veni;
Qualis eras Zephyro, cùm te, formoſa, ſecutus
Securam pennis mollibus implicuit;
Qualis ab æthereo ſpectabas culmine ludos,

Digitized by Google

Quos tibi ſolemnes Martia Roma dabat.
Romanis tibi pro ludis Romana Secundus
Carmina, diverſa cantat in Heſperia,
Quâ rutilas Tagus aſſiliens ejectat arenas,
Sub matutinis cantibus alituum:
Carmina ſpectaclis longè potiora vetuſtis.
Suſtulit hæc ætas, illa perennè manent.
O! ita, cum blando blandiſſima mater Amore
O! ita, Bacche, velis, o! ita, Phœbe pater!
Semper ut illius maneant monimenta caloris,
Quem movit tremulis ignea luminibus,
Magnum quæ parvo nomen ſortita libello,
Prima meæ ſpolium Julia mentis habet.

Digitized by Google

EPIGRAMMATUM

LIBELLUS.

AD CAROLUM CATSIUM.

JANUS ancipiti vetuſtus ore
Labentis tacitè novator anni
Adeſt : Carole, quid moramur ? eia,
Vivamus, neque creduli futuris
Carpamus ſpatium volantis anni.
Sic, o! ſic tua cuncta, dii, deæque,
Non iſthoc modo, pluribus ſed annis
Fortunent, ſerieſque tota cœli
Sit patrona tuis amica votis.
In primis dea, quæ creata ponto,
Undoſos animis movet tumultus;
Et, nunquam vacua gravis pharetra,
Et ſemper vigili timendus igne,
Laſcivæ comes aliger parenti,
Sint mites tibi, proſperentque molles
Quas dabunt tibi, vel dedêre flammas.
Multis baſiolis fruaris, & te
Amantem ſibi quæque quærat, & ſe
Subſternat tibi, læta mollicellis
Formoſiſſima quæque de puellis;
Nec poſcat neque gratiam, nec æra,
Nec rubri ſpolium maris, nec aurum:

Digitized by Google

Sed carus magis ipſe sis vel ære,
Vel rubri ſpolio maris, vel auro.

IN IMAGINEM HERCULIS
Cupidinem tergo geſtantis, ac prope ſuccumbentis oneri.

Ante quibus cœlum fuerat leve pondus, iiſdem
Nunc gravis eſt humeris ſarcina, parvus Amor.

IN CHARINUM DEFORMIS UXORIS MARITUM.

Nuper, Charine, conjugem
Vidi tuam, tam candidam,
Tam lacteam, tam floridam,
Cultam, modeſtam, blandulam:
Ut ſi mihi tales bonus
Conceſſerit tres Jupiter,
Diti daturus ſim duas,
Auferret ut ſuperſtitem.

IN PASSEREM GLYCERES.

Hoſtili Paſſer felis raptatus ab ore,
Languit, exiguam depoſuitque animam;
Quem poſtquam Glycere illacrymans fovitq; papillis
Frigidulum, & tepido rore rigavit amans,
Palpitat, & teneros reptat nova vita per artus,
Moxque vagus roſea proſilit e latebra;
Et fugit aërias non obſervatus in auras.
Illa dolet, gemitus & ciet ore graves;

Digitized by Google

Guttaque per nitidas diſtillat vitrea malas,
Diſtinctum gemmis quale renidet ebur.
Ingrate, heu! nimiùm paſſer, qui deſeris illam,
Quicquid habes animæ munere cujus habes!
Diſſimilem o ſortem! Te, lux mea, te ſequor unam
Cùm toties dulci me ſpolies anima.

IN ALIUM PASSEREM EJUSDEM GLYCERES.

Improba de dominæ gremio dum provolat ales;
Corripitur dominæ comprimiturque manu.
Illa quidem moritur, ſed ſic juvat ire ſub umbras;
Sæpe mori ſimili non nece poſſe, dolet.
Hoc bene ſcit Glycere, formæ ſibi conſcia tantæ,
Inque ſinu tepido callida condit avem.
Nec mora, viſa movêre ſuas, & moverat alas,
Atque iterum dominam peſſima deſeruit:
Illa manu celerem ſequitur, cupit illa teneri,
Et manibus rurſum virginis immoritur.
Invidi infelix tam dulcia fata volucris,
Optavique iiſdem poſſe mori manibus.
Illa negat: ſortem o miſeram! cur, impia, cur nam,
Cui vitam renuis, renuis interitum?

IN MARULLUM ET VARIUM.

Marullus Variuſque Septimillæ
Donavêre toga nova maritum.
Nunc ille ambulat huc & huc togatus,
Et tranſit fora, porticus, tabernas,

Digitized by Google

Vicos, balnea, fornices, popinas;
Nec toto decies reviſit anno
Relictam dominis domum novellis.
Securi modò ſæpe luce prima,
Securi medio die fruuntur
Marullus Variuſque Septimilla.

IN EANDEM.

Mitte peregrinis opplere coloribus ora:
Nudus Amor nudæ munera frontis amat.

IN CYNTHIAM PROPERTII.

Cynthia, te poſtquam mors abſtulit atra, tuiſque
Induxit furvas luminibus tenebras:
Tum verò ſimiles verita eſt Latonia caſus,
Occideret nebula ne labefacta pari;
Et, quoties tellus fraternos impedit ignes,
Exemplum fati diva tui metuit.

IN NEÆRAM.

Lumina mî atque animum cœpit tua candida forma:
Moribus offendor, torva Neæra, tuis.
Nec mihi nuda places, ſed cùm veſtita recumbis,
Baſia me capiunt, non amo concubitus.
Quot dotes natura dedit, totidem tibi mendas
Addidit, & tamen heu! te te ego depereo.
Nimirum cœcus non eſt, cùm pulchra tuetur;
Tunc Argum tunc & Lyncea vincit Amor.
At mendas ſpectare, averſa fronte, recuſat;
Tunc & Tireſia cœcior, & Thamyra.

Digitized by Google

IN LIBELLUM SUUM BASIORUM.

Caſta quod enervi cantamus baſia libro,
  Verſibus illudit fuſca Lycinna meis;
Et me languiduli vatem vocat Ælia penis,
  Quæ Venerem in triviis porticibuſque locat.
Scilicet, expectat noſtrûm quoque noſcere penem?
  Parcite, turpiculæ, mentula nulla mihi eſt.
Nec vobis canto, nec vobis baſia figo:
  Iſta legat teneri ſponſa rudis pueri.
Iſta, tener ſponſus nondum maturus ad arma,
  Exercet variis quæ Venus alma modis.

IN JOVIUM.

Tenduntur nervi, formoſa quieſcit in ulnis,
  Cypridis ad blandum ſollicitatur opus:
Nec perſuadetur Jovius ſoletur ut illam.
  O! nimium gelida religione virum!

IN GELLIAM.

Cum mihi de variis traheretur ſermo puellis
  Tecum, deque bonis, Gellia, deque malis:
Sic mihi tum memini te reſpondiſſe, ſupremum
  Et finem verbis impoſuiſſe meis.
Illa ſapit demum quæ ſe putat inſipientem,
  Deſipit hæc nimium quæ ſibi, Jane, ſapit.
Hic ego, quid vero de te, mea Gellia, ſentis?
  An ſapere, an contra ſtulta videre tibi?
Stulta refers ſum ſtulta mihi, rideſque ſuave,

Digitized by Google

Scilicet officio quam bene functa tuo!
At cave, ne, dum te ſic ſtultam dicis, ut iſto
Te mihi prudentem teſtificere modo,
Gellia, captata & frauderis laude, nec eſſe
Prudens judicio comperiare tuo.

IN GELLIAM.

Si non eſt grave, ſi vacat,
Cur vendis Venerem, dic mihi, Gellia,
Cur vendis, quod emas libens?
At tu, ſi memini, ſæpe ſoles prius,
Cujus tantopere es modo
Parca & facta tenax, reddere ſæpius
Quibuſcunque rogantibus.
Aut ſi nemo rogans, nemo volens erat,
Ipſam te memorant pias
Effudiſſe preces, & juvenum levis
Pellexiſſe animos, tuum
In votum faciles. Quiſnam etenim neget
Oranti tibi, Gellia,
Quæſo, tam pia, tam dulcia, tam bona?
At nunc, cum tibi languida
Vultum ruga ſecare incipit, & novas
Inſpargit capiti nives
Ævi bruma rigens, nec modo dentibus
Os ſuperbit eburneis,
Nec labris remanet qui fuerat decor,
Et fugit color ille qui
Tingebat niveas purpureus genas:

Digitized by Google

Cur nunc, cur ſubito Venus,
Quam nunc te deceat vel dare maxime,
Emptam quam vel oportuit,
Cur nunc illa tibi, cur, rogo, venditur?
Non hoc, non tibi parcitas,
Quæ pigro ſenio ſæpe comes venit;
Non, ſi te bene novimus,
Hoc ſuadet nova nunc, Gellia, caſtitas:
Sed, ſi conjiciam ſinis,
Divinabo equidem, ſim licet ipſe nec
Vates, nec teneam ſagax
Aut cantus volucrum fata canentium, aut
Pennæ præpetis omina.
Olim cum roſeas prima juventula
Pinxiſſetque genas tibi,
Pinxiſſetque ſimul labra corallina;
Nata ad dulcia baſia,
Atque inſtructa ſuis lumina ſpiculis
Ornaſſet ciliis nigris:
Tum tu, quas dederat pulchra Venus tibi
Dotes, omnibus affluas,
Gratis larga dabas, ſcilicet has tibi
Sperans perpetuas fore.
At poſtquam periit læta Juventula,
Et jam te in ſpeculo videns,
Formam longe aliam cernere cogeris;
Et rugis faciem aſperam,
Canoſque ad ſpeculum vellere limpidum
Inviſos miſera occipis:
Tum demum gemis, & te miſeret tui,

Digitized by Google

Et lapſos virides male
Nulla fruge dies, Gellia, devoves,
Et lucri in ſenium nihil
Quæſiviſſe dolet, pœnitet, & pudet.
Ergo, dum licet, & brevi
Comprendi numero canicies poteſt,
Et rugæ numerabiles;
Nec dum, læſa parum, forma virentibus
Plane ſpernitur a viris,
Jam mutas animum callida prodigum;
Et, mirantibus omnibus,
Aurum difficilis, muneraque expetis:
Ut, poſtquam tremulo gradu
Deforme adfuerit mox ſenium tibi,
Et nemo fuerit, tuis
Qui junxiſſe labris oſcula pallidis,
Mollem tangere qui ſinum,
Qui corpus cupiat cernere mortuum,
Non deſit tibi ſcilicet,
Quo tum rurſus emas, quod modo venditur.

IN EAMDEM.

Gellia, miraris, cur auro vendat amorem?
Scilicet ut ſit, quo callida rurſus emat.

TRIA MALA.

Quæ mala ſunt hominum rebus tria maxima, ſcire
Quæris? habe paucis: femina, flamma, fretum.

Digitized by Google

AD ROMOLDUM STENEMOLAM,
præceptorem ſuum, cum ei amatorias aliquot Elegias mitteret.

Cui mitto calidos, novos amores,
Nec ſatis lepidos, nec expolitos?
Nimirum tibi, namque tu putabis
Meas eſſe aliquid, Romolde, nugas:
Aſſuetus genium probare noſtrum,
Jam tum cum imperio tuo ſonabam
Parvus carmina renuente lingua.
Ergo, habe tibi quicquid hoc amorum eſt;
Et quicquid venit a meis Camœnis,
Totum crede tui laboris eſſe.
Mox autem recitare plura certum eſt,
Cum nos Haga brevi tenebit ambos,
Et juncti pariter locum tenemus
Sacratum Veneri, & novem deabus,
Longo quâ tilia explicata tractu,
Diffundens patulos opaca ramos,
Frangit ſideris impotentis æſtum.

AD MATRONAM QUAMDAM,
UT IRÆ MARITI CEDAT.

Mitibus obſequiis animos compeſce feroces:
  Triſtis in iratos non habet ira locum.
Libera quæ ripis diductis unda vagatur,
  Tranquillum tacito tramite radit iter.

Digitized by Google

Hæc eadem fines ſi conſtringatur in arctos,
Præcipites rauco murmure rumpit aquas.

VOLUPTATIBUS OMNIBUS ADHIBENDUM ESSE MODUM.

Eſt modus & dulci: nimis immoderata voluptas
Tædia finitimo limite ſemper habet.
Cerne novas tabulas, rident florente colore,
Picta velut primo vere coruſcat humus:
Cerne diu tamen has, hebetataque lumina flectes,
Et tibi conſpectus nauſea mollis erit;
Subque tuos oculos aliquid revocare libebit,
Priſca quod inculta ſecla tulêre manu.

AMOREM ESSE IMMEDICABILEM.

Artifices herbæ ſanant genus omne malorum,
Solus Amor medicam ſpernit & horret opem.

ALIUD.

Cum gemina ſanetur ope quodcunque malorum eſt,
Solus Amor carmenque ſacrum contemnit & herbas.

IN EAMDEM SENTENTIAM.

Accerſit medicas curas quodcunque malorum eſt,
Ipſe ſibi vulnus nutrit acerbus Amor.

Digitized by Google

IN CUPIDINEM CAMINO INSCULPTUM.

Flammivomo Veneris quiſquis fuit ille camino
Qui ſculpſit puerum, credite, doctus erat.
Scilicet æternæ penes hunc cuſtodia flammæ eſt,
Per quem ſopitus non queat eſſe focus.

IN VENEREM CNIDIAM.

Cernere dum cuperet propriam Cytheræa figuram,
Venit in undoſam per mare vecta Cnidum:
Utque oculis totam luſtraverat undique formam,
Dixit, Praxiteli viſa ubi nuda fui?
Non te Praxiteles vidit, Dea magna, nec eſt fas
Cernere conſpicuas, & ſine veſte deas.
Qualem Mars voluit, talem finxere Dionen
Ferrea belligero ſubdita cæla deo.

EX ANACREONTE.

Non eſt cura Gygis mihi, qui rex imperet agris
Sardiniis; non me argentum, non gemma, nec aurum
Detentat; non invideo ſua regna tyrannis.
Cura eſt unguento fluat ut mihi barba fragranti,
Cura ut odoriferis cingam mea tempora ſertis;
Curæ ſunt dubiæ tantum præſentia vitæ
Tempora curæ hodierna mihi ſunt: craſtina namque
Novit, quiſve ſibi promittere craſtina poſſit?
Heus ergo, heus agedum, calicem mihi cudito jam nunc

Digitized by Google

Argento bene tornato; Vulcane: ſed amplum,
Atque cavum, & Bacchi, quantum potes, eia, capacem.
Inque hoc non currus, non triſtia ſidera ſculpe;
Non hunc crudelis, non ambiat udus Orion:
Sed vites mihi fac virides, ipſumque Lyæum;
Et Charites, blandam & Venerem, Veneriſq; puellum.

ODARUM
LIBELLUS.

AD ADRIANUM GOESIUM
JURISCONS. UXOREM DUCTURUM.

Ergo, dulcis amicule,
  Nobis tam cito te ſubtrahis, & vagis
Finem ponis amoribus?
  Et te ſponte tua brachia mollibus
Subdens libera vinculis,
  Captivis hominum cœtibus inſeris,
Sortem ſervitii gravem, &
  Paſſurus dominæ ſceptra puellulæ?
Viſurus tamen interim
  Natos, legitimæ præmia Cypridis,
Natos, certa levamina
  Curarum, & ſocii pignora lectuli:
Quos qui tollere negligit,
  Dans infrugiferis ſemina vepribus,
Ignavus moritur ſenex,
  Indignuſque, cui contigerit parens.
Ergo, ſpernere ſi potes
  Curas, mœſtitias, vincula, carcerem,
Dum caſtus tibi ſit torus,
  Et gignas aliquid quod tibi ſuccinat
Nomen dulce parentibus,

Digitized by Google

Aula quodque tua luſitet, & patris
Obſervantibus atria
Monſtret ora ſui certa clientibus:
I, quo te impetus impotens,
I, quo magnus Hymen te vocat, & potens
Dextra teligera puer.
At nos interea, quando relinquimur
Abs te, cum reliquis tamen,
Quos non iſta tenent jura, ſodalibus;
Donec canities abeſt,
Carpamus Veneris gaudia liberæ.

DE AMORIBUS FRANCISCI CATSII.

FRANCISCI teneris digna caloribus,
Iſabella, meæ proxima Juliæ,
Quocunque orbe moraris,
Fido in pectore ſtas tamen:
E quo nec rapiet te rota temporum,
Nec diverſa tuis tot loca mœnibus.
Heu, quantum tamen hinc eſt
Inter Lovanium ſoli!
Hærent luminibus lumina mollia,
Arguta, & tantis ſubdola nutibus,
Hærent, atque revinctum
Quem cepêre ſemel, tenent.
Hærent auriculis verba ſonantia,
Quæ poſſunt ſuperos flectere, quæ deum
Qui ſervat loca tetra,

Digitized by Google

Nulli pervia lumini.
Ad quæ cum, tenuem efflatus in aëra
Franciſci gelidus ſpiritus ierit,
Una voce ſuavi
Dilectæ dominæ ſuæ,
Quam terræ tumulis obrutus audiet,
Quam tota excipiet regia nigricans,
Uno murmure dulci
In vitam revocabitur.
O! felix facibus forma potentibus!
Fas florere meis te quoque verſibus,
Dum fletus puer ales
Et ſuſpiria neſciet.

AD PETRUM BAUSANUM.

QUISQUIS ſerena mente poteſt ſuos
Inter ſodales vivere leniter,
Qui mente conjunguntur una,
Et ſtudiis rapiuntur iiſdem:
Illum beatis reſpicit ignibus
Diſtincta cœli regia mobilis,
Et ſortis expertem malignæ,
Collocat in medio deorum.
Non livor illum pallidus occupat;
Non cura firmum verſat & huc & huc;
Nec ſperat uſque lætiorem
Sidere ſub meliore vitam.
Seu vivat illic, quà freta perpetim

Digitized by Google

Adſtricta canis ſtant Aquilonibus,
Seu quâ nigros uſti propinquo
Sole trahunt populi colores.
Sic, Petre, Muſas inter amabiles,
Interque junctas brachia Gratias,
Riſus, jocos, luſus, amores,
Exilium patriæ feramus.

AD AMOREM.

ERGONE, vitæ quod ſupereſt meæ,
Suſpirioſis liber amoribus
Degam, nec in venis calebit
Ille meis deus, ut ſolebat?
Jam, jam remiſſi pœnitet otii:
Jam, jam proterva ſpicula dextera
In pectus hoc, inerme pectus,
Sparge, Puer, reſonante nervo.
Vivamque rixas inter & oſcula,
Interque riſus & lacrymas graves,
Spemque & metum, vitam necemque,
Tempora floridulæ juventæ.

IN CHOREAS AB SE SPECTATAS.

CURRU Diones vectus eburneo,
Vidi modo hîc, jam neſcio quo loco;
Calente curſitare mixtas

Digitized by Google

Cum juvenum ſerie puellas.
Una inter omnes florida virgines,
Terram tenello ſollicitans pede,
Verſabat in gyrum ſequaces
Secum oculos, animoſque turbæ.
Ut rubra puro lacte natans roſa,
Serpebat albas purpura per genas:
Frons crine flavo fulgurabat,
Fulvo ut ebur variatur auro.
Sic illa, membris læta volantibus,
Producta cari nunc juvenis manu
Circum ibat, intactamque ſenſim
Nabat humum trepidante planta.
Nunc ſola, gratis libera nexibus,
Errabat, huc vibrans oculos & huc,
Luſuque mobilis protervo,
Huncque petebat & hunc, & illum.
Beata, dixi, terra, vel hos pedes
Tu, bruta, ſenti, vel mihi fac locum:
Seque illa per pectuſque noſtrum,
Per faciemque, oculoſque volvat.

Digitized by Google

SYLVÆ

DIALOGUS LUCIANICUS
DORIDIS ET GALATEÆ.

Latino carmine redditus.

GALATEA.

FORTE deæ pelagi, ludentes litore curvo,
Captabant radios, auree Phœbe, tuos.
Hic Thetis, hic Melite, Spio, Panopeaque virgo,
Cymodoce, Doris, & Galatea fuit:
Cum Doris ficto Galateam molliter ore
Riſit, & arguto ſtrinxit amara joco.

DORIS.

Scilicet, egregiæ tandem formoſus amator
Contigit, o felix jam Galatea, tibi?
Nimirum hic Siculus paſtor, proh numina, qualis!
Deperit, ut paſſim fertur, amore tui.

GALATEA.

Ne ride: qualis qualis tibi, Dori, videtur,
Neptuno tamen eſt de genitore ſatus:
Neptuno vitreis late qui præſidet undis,
Neptuno a ſummo qui Jove prima tenet.

Digitized by Google

DORIS.

Egregium vero quod ſit Neptunia proles!
Eſto, ſit altifremi filius ille Jovis.
Cum tam deformis ſit, agreſtis & hiſpidus, & quod
Omnibus eſt unum turpius, unoculus:
An vero genus ad formam prodeſſe putabas?
Hoc tibi deformis nomine pulcher erit?

GALATEA.

Imo nec eſt deformis, & id quod dicis obeſſe,
Hoc queat hoc formam nobilitare viri.
Quippe quod agreſtis,quod & hiſpidus(hæc tua nam ſunt
Crimina, ſic libitum eſt hæc vocitare tibi)
Haud deformat eum, verum mage, Dori, virile eſt:
Crede, decet fortes hiſpida barba viros.
Porro oculus media nitidus qui fronte relucet
Et quem Phœbææ lampadis inſtar habet,
Ille etiam decet hunc: hoc cernit certius uno,
Quam ſi vel duo, vel lumina mille forent.

DORIS.

Tu vero mihi jam, Galatea, videris habere hunc
Non tibi amatorem, verum adamare magis:
Uſqueadeo laudas, & quæ contraria formæ,
Jam formoſa uti ſint, atque decora, jubes.

GALATEA.

Haud equidem hunc adamo: tamen iſta inſignia veſtra

Digitized by Google

Scommata, & inſulſos haud queo ferre ſales.
Et plane invidia huc mera vos ſtimulare videtur,
Quod vos non itidem ut me Polyphemus amat;
Quodque gregem nuper celſa dum paſcit in Aethna,
Inter lanigeras conſpiciendus oves,
Noſque procul mixtim per litora ſola vagantes
Cernit, ubi pedibus prominet Aethna ſuis,
Veſtrum non ullam vel ſolum aſpexit: at ipſa
Viſa viro cunctis pulchrior una fui.
Meque proinde ſuo dignatus lumine ſolam eſt,
Lumine ſidereas exuperante faces.
Hæc ea ſunt, hæc ſunt, quæ pectora veſtra remordent,
Hinc illi riſus, illepidique joci:
Namque hæc cuncta docent me vos præcellere forma,
Meque magis dignam quam Polyphemus amet.

Doris.

Scilicet, invideam quod tu formoſa videris
Luſco, & paſtori quod Galatea places?
Quanquam aliud, quæſo, potuit quidnam ille probare,
Præter candorem, lactea diva, tuum?
Ille placet, quod lac cibus eſt & caſeus illi:
Quod ſimile his, pulchrum protinus iſte putat.
Tu vero cupis ipſa tuam ſi noſcere formam,
Nec tibi judicio ſtulta placere malo;
Pendenti è ſcopulo, ſi quando ſilentibus Auſtris
Pellucens placidis unda jacebit aquis,
Temet contemplare, precor, dabit unda colorem
Conſimilem lacti, conſimilemque nivi.

Digitized by Google

Atqui nulla quidem facies candore probetur,
Candida purpureis ſit niſi tincta notis.

GALATEA.

Atqui ego nacta tamen, quantumvis candida, qualem
Doris amatorem vellet habere ſibi.
Nullaque de vobis quam vel miretur agaſo eſt,
Vel paſtor, vel quam portitor ullus amet.
Atque alia ut taceam, cantat Polyphemus, in omni
Et calami, & citharæ, doctus & arte lyræ.

DORIS.

Mitte hæc, diva, precor: cantantem audivimus, in te
Pruriret nuper cum male ſanus amans.
Verum, o! ſancta Venus, rurſum in certamina Phœbum
Excire obſtreperus Marſia viſus erat.
Quin ter credideram ſylvis audire rudentem
Vicinis aſinum, ter Polyphemus erat.
Ipſiuſque lyræ corpus jurare volebam
Cervinum, nudis oſſibus, eſſe caput.
Cornua nam extabant cubiti de more recurvi:
Quis putet hic hominem? quis putet eſſe lyram?
Tum vero inductis fidibus ſpecioſus amator,
Nec jungens ſinui barbara monſtra lyræ,
Neſcio quid tandem durum & ſtridebat agreſte,
Obſervant partes dum Lyra voxque ſuas:
Sic uti non fuerit de cunctis ulla deabus,
Quæ poſſet riſus aut cohibere jocos.
Quid, quod & ipſa quidem non eſt dignata boanti
Reſpondere Echo, garrula Nympha licet.

N vj

Digitized by Google

Credo, deam puduit, ſi forte audita fuiſſet
Reddere ſtridentes ridiculoſque ſonos.
Quin urſis urſæ catulum formoſus amator
Geſtabat, luſus, deliciaſque ſuas.
Hirtus erat totus, quo, credo, gratior illi,
Quod ſimilis fetis, & feritate fuit.
Quæ tibi nunc iſtum talem, Galatea, maritum
Invideat? quæve hunc nunc velit eſſe ſuum?

GALATEA.

Ergo tuum nobis, ſit qui formoſior, eia,
Monſtra, & qui melius voce lyraque canat?

DORIS.

Nullum habeo, fateor, nec eo me nomine jacto;
Ac ſi ſim multis ſollicitata viris.
At vero talem, qualis Polyphemus, amantem,
Totus qui ſaniem, totus ut hircus, olet:
Quique infelices funeſta ad litora pulſos
Devorat, hunc habeas, hunc adameſque tibi.

Talia ſunt, Nymphas retulit quæ fama marinas
Multa per alternas dicta dediſſe vices.
Quid jam, quid cœcum non poſſe putemus Amorem,
Te quoque formoſum ſi, Polypheme, facit?

Digitized by Google

EPITHALAMIUM.

Hora ſuavicula, & voluptuoſa
Hora blanditiis, lepore, riſu,
Hora deliciis, jocis, ſuſurris,
Hora ſuaviolis, parique magnis
Cum diis & Jove tranſigenda ſorte;
Hora, qua poterat beatiorem
Nec Gnydi dea ſancta polliceri,
Nec qui cum pharetra pererrat orbem,
Curis gaudia delicata miſcens,
Penna ſplendidus aurea Cupido,
Magni pronuba nec ſoror Tonantis;
Nec qui floridulas Hymen puellas
Raptas e gremio tenace matrum
Involvit cupidis viri lacertis,
Rupis incola floriger canoræ:
Advecta eſt, ſerie rotante cœli.
O! felix juvenis, puella felix!
Felix ſponſe, cui cupita flamma
Jam nunc in geminis quieſcit ulnis,
Puella ætherea beata forma,
Qualem magna Venus, velitque Juno,
Et quæ caſſide Martia refulget
Sancto vertice procreata Pallas,
Si junctæ ſtatuant adire valles
Umbroſas iterum virentis Idæ:

Qua ſpectanda vel hæc, vel hæc, vel illa;
Quovis judicio ſuperba malum
Victrix aureolum reportet aſtris!
O! felix juvenis, puella felix!
  Felix ſponſa, cui cupitus ardor
Affuſus modo lectulo in beato,
Stringet colla tenacibus lacertis;
Inſigni juvenis venuſtus ore!
Iſtis qui roſeis tuis labellis,
Iſtis qui niveis tuis papillis,
Iſto qui rutilante crine tactus,
Iſto lumine qui loquace victus,
Jampridem tacito voratur igni,
Lentumque increpat uſque & uſque Solem,
Tardàmque invocat uſque & uſque Lunam.
O! felix juvenis, puella felix!
  Votis, fervide ſponſe, parce votis
Et ſuſpiria mitte, mitte queſtus,
Tempus accelerat ſuave: mitis
Exaudit gemitus Venus ſuorum.
Condit Cynthius ora, condit ora;
Seque gurgite perluens Ibero
Cedit noctivagæ locum ſorori;
Et quo gratior haud relucet ignis;
Conjunctis animis amore dulci,
Producit caput, emicatque cœlo
Ductor Heſperus aureæ catervæ.
O! felix juvenis, puella felix!
  Jam virgo thalamum ſubibit, unde

Digitized by Google

Ne virgo redeat, marite, cura.
Jam virgo niveis locata fulcris
Adventum cupiet tuum, tremetque
Perfuſa ingenuo rubore malas:
Forſan & lacrymis genæ madebunt,
Et ſuſpiria fundet, & querelas.
At tu nil remoratus, & querelas,
Et ſuſpiria, lacrymaſque tolles,
Abſtergens oculos tuo ore, dulce
Murmur pro querimoniis reponens.
O! felix juvenis, puella felix!
Ergo membra ubi virginis decoræ
Felix candida lectulus fovebit,
Membra languidulo parata ſomno,
Et molli quoque te toro locatum,
Supra purpureos beata reges,
Supra conſtituet Jovem Dione,
Mox te blandidicis parare rixis,
Mox te molliculæ parare pugnæ,
Motus occipies calore juſto:
Belli proſpera ſigna non cruenti
Figens mille protervus hic & illic,
Collo baſia multa, multa malis,
Labris baſia plura, plura ocellis.
Repugnabit, & improbum vocabit,
Et dicet: « SATIS eſt, tremente voce »,
Acerbaque manu proterva labra,
Propelletque manu manum protervam.
O! noctem ter, & amplius beatam!

Pugnet ſtrenua, pugnet illa, paſci
Pugnando teneri volunt amores.
Pugnando tibi duplicatus ardor
Vires ſufficiet novas in arma.
Tunc per candida colla, tunc per illud
Quod certat ebori nitore pectus,
Tunc per crura tenella, perque ventrem,
Et quæ proxima ſunt & huic & illis,
Saltu volve agili manum ſalacem:
Et tot millia junge baſiorum,
Quot cœlum rutilos tenebit ignes.
O! noctem quater, & quater beatam!
Nec deſint tibi blandulæque voces,
Et quæcunque juvant perita verba;
Nec cum murmure ſibili ſuaves,
Quales dant Zephyro ſonante blandum
Frondes, quale columba, quale cycnus
Annoſus moriente ſpirat ore:
Donec victa potentibus ſagittis,
Et cœco pueri volantis igne,
Paulatim minus & minus ſevera,
Ponet purpureum toro pudorem,
Collum in brachia nexuoſa dedens,
Collo brachia nexuoſa ſtringens.
O! noctem quater, o! quater beatam!
Tunc tunc oſcula delicata ſumes,
Nullis contemerata quæ rapinis
Hærebunt vario morata nexu.
Tunc luſus ſimiles, pareſque virgo

Digitized by Google

Reddet delicias, & os hiulcum
Jampridem patulo licenter ori
Committens, animæ libidinoſo
Fragrantis cupidum beabit hauſtu.
Mox luſu quoque molliore ludens,
Dicet blanditias ſuaviores,
Emittet digitos licentiores,
Finget nequitiam ſalaciorem.
O! noctem nimis & nimis beatam!
Tunc arma expedienda, tunc ad arma
Et Venus vocat, & vocat Cupido:
Tunc in vulnera grata proruendum:
Huc, illuc agilis feratur haſta,
Quam crebro furibunda verſet ictu
Non Martis ſoror, aſt amica Martis
Semper læta novo cruore Cypris.
Nec quies lateri laborioſo
Detur, mobilibus nec ulla coxis:
Donec deficiente voce anhela,
Donec deficientibus medullis,
Membris languidulis, madens uterque
Sudabit varii liquoris undas.
O! noctem nimis, o! nimis beatam!
Sudate, ut libet, & dieſque longas
Noctesque exigite in potente luſu;
Et brevi date liberoſque dulces
Et longo ordine blandulos nepotes:
Quæ vobis ſenii minuta turba
Olim ſollicitos levabit annos,

Digitized by Google

Arcebit querulos toro dolores,
Languentûm tremulos fovebit artus;
Componet tumulo pios parentes.
O! felix juvenis, puella felix!

FINIS.

Digitized by Google

JOANNIS BONEFONII

ARVERNI

PANCHARIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PANCHARIS
IOAN. BONEFONII
ARVERNI,
AD JACOBUM GUELLIUM,
Regis Procuratorem.

SE AB AMORE REVOCARI
NON POSSE SCRIBIT.

O Guelli, juvenum eruditiorum,
Vel ipſa invidia fatente, princeps,
Quid Boneſius hîc tuus negotî
Gerit, quî valet, *anxior* (1) requiris ?
Ludo carmine quo tener Catullus
Luſit, & teneri æmulus Catulli
Ille Plinius, atque Calvus ille :
Quo tu in carmine ſi tui Boneſi
Et ſalem minus & minus leporem,
Certè nequitiam ſatis probabas.
Et nunc molle mihi & ſuave quiddam eſt

(1) Adjectivum *anxius* comparativum non habet. *Bern. Ioneta.*

Digitized by Google

Ridentes oculos meæ puellæ
Ad cœlum lepido vocare verſu,
Eoſdem quoque nunc ferocientes
Juvat ſtringere ſæviore ïambo.
Quid tu, inquis, Venerem jocoſque cantas,
Cui Phœbi ſine more ſævientis,
Ille immane ſonans minatur arcus ?
Canto. Nam quid ego illa pertimeſcam,
Quibus me juvet interiiſſe, tela ?
Quem Cupidineæ nocentiores
Premunt oſſibus intimis ſagittæ,
Et nocentius omnibus venenum,
Quo velut Tityi jecur renaſcens,
Sic ſemper pereo, ut perire poſſim.

AD ANTONIUM COTELLUM Senatorem Pariſienſem.

PANCHARILLÆ FORMÆ ELEGANTIAM DESCRIBIT, QUA SE CAPTUM AIT.

NAM quid diſſimulem ? Illa me, Cotelle,
Nympharum domina, illa Pancharilla
Prima militiæ hujus inſolentem,
Et Cupidineæ rudem palæſtræ
Cepit flammeolis ſuis ocellis,
Vinxit aureolis ſuis capillis.
Ut vidi, furor & malignus error,

Me mî ſurpuit. Ille me genarum
Fulgor lubricus, ille Pancharillæ
Pudor virgineo natans in ore;
Riſus ille decens, & ille candor
Fuci neſcius, ille me vetuſti
Splendor ſanguinis, illa liberalis
Indoles animi, illa mens ſenilis
Ætate in tenera, tenorque conſtans;
Ille corporis elegantioris
Cultus ſimplicior, & illa vultus
Majeſtas placida & ſerenus ardor;
Ille frontis honos patentis, ille
Me ſupercilii nigellus arcus,
Dentiumque duplex eburnus ordo,
Et menti bifidi decor venuſtus;
Spira illa auriculæ rotundioris;
Illa blæſula, mollicella verba,
Illa me capitis nitens columna,
Emendatior omnibus columnis,
Caſtigatior omnibus figuris;
Illæ marmore purius nitentes
Papillæ teretes, ſuas Diana,
Et quas eſſe ſuas velit Dione,
Obſtrinxere ſibi arctiore vinclo.
Illo carcere pectoris repoſti,
Illis me pedicis profundi amoris,
Æternum ſibi Pancharilla vinxit.
O! cuſtodia carceris benigni!
O! dulces pedicæ! ô! beata vincla!

Digitized by Google

BASIUM I.

Quo petit, ut Pancharis ipſi baſiis animam exſugat.

Nympha, bellula, Nympha mollicella;
Cujus in roſeis latent labellis
Meæ deliciæ, meæ ſalutes:
Nympha, quæ veneres, venuſta tota,
Omnes omnibus una ſurpuiſti,
Amabo mihi baſium propina,
Quo tandem meus acquieſcat ardor.
Ah! ne baſiolum mihi propina,
Nam contra magis excitatur ardor;
Sed mî ſuge animam halitu ſuavi,
Dum nil quicquam animæ mihi ſuperſit.
Ah! ne, ne mî animam puella ſuge:
Namque exſors animæ quid ipſe tandem
Quid ſim vana niſi futurus umbra,
Et errans ſtygiis imago ripis?
Infauſtis nimis ah! nimiſque ripis,
Quæ nullam venerem & ſuavitatem
Nullas delicias jocoſque norunt.
Imo tu mî animam puella ſuge:
Suge; dum mî animæ nihil ſuperſit,
Dumque molliculi comes Catulli,
Dumque molliculi comes Tibulli,
Eam pallidulas & ipſe ad umbras
Et errem ſtygiis imago ripis.

Tum

Tum viciſſim ego, Pancharilla, fugam
Tuæ florem animæ ſuaveolentis,
Dum nil quicquam animæ tibi ſuperſit;
Dumque Lesbiolæ Catullianæ,
Dum comes Nemeſis Tibullianæ,
Eas pallidulas & ipſa ad umbras,
Et erres ſtygiis imago ripis.
Namque illic etiam ſuos amores
Exercere piæ feruntur umbræ:
Et illic Nemeſim ſuam Tibullus,
Et illic quoque Lesbiam Catullus
Fertur pallidulo ore ſuaviari.
Sic illic, mea Pancharilla, te te
Pallens pallidulam ſuaviabor,
Illi ut primi etiam duces amoris
Palma jam veteri ſuperbientes,
Et ſe a me fateantur & ſtupeſcant
Victos, multivola oſculatione.

Digitized by Google

BASIUM II.

In Acum, a qua petit, ut pectus Amicæ potiùs quàm digitos impoſterum cuſpide pungat (1).

Dic, Acus, mihi, quid meæ puellæ
Illa candidula, illa delicata
Albis candidior manus liguſtris;
Quid leves digiti tenelluli-que
Tantum commeruiſſe vel patraſſe
Poſſunt, ut toties & hos & illam
Configas ſtimulo ferociente?
  Ah! ne molliculas manus inepta,
Ne læves digitos & innocentes,
At pectus ſtimulo acriore punge:
Pectus durius omnibus lapillis,
Durius ſcopuliſque rupibuſque.
Hîc ſtylum altius altiuſque fige,
Hîc acuminis experire vires.
Quod ſi mollieris meam puellam,
Dii! quantam hinc referes ſuperba laudem
Hac te cuſpide vulneraſſe pectus,
Quod nullis potuit Cupido telis!

(1) *Hocce Poëmation minimè probat Moneta.* « Ce » n'étoit pas, dit-il, vouloir trop de bien à la Belle, que » de ſouhaiter qu'une aiguille lui perçât le cœur ».

Digitized by Google

BASIUM III.

Ad Catellum Pancharidis ſuæ, cui fortunam invidet. (1)

Quis, barbatule, quis tuam, Catelle,
Non tibi invideat beatitatem:
Quem mulcere manu ſolet nitenti,
Et ſolet tenero ſinu fovere
Illa lux animi Diana noſtri?
Cui tot blanditias, tot uſque & uſque
Luſus ingenioſa factitare:
Quem ſic deperit impotente cura
Ut ſive illa domi quieta degat,
Seu foris paret ambulationem,
Unum te ſocium domi foriſque,
Unum te comitem viæ requirat;
Et cum ſeſe epulis paravit illa,
Tu conviva Deæ advocaris uſque.
Tum dapes tibi delicatiores
Hinc & inde legit, tibique lectas
Blanda porrigit & miniſtrat uni;
Mox ubi eſt epulis fames adempta
Novis deliciis beare certat.
Nunc te lacteolæ inſerit papillæ,
Nunc humentibus admovet labellis
Et tot prodiga baſiationes
Uni nectareo propinat ore,

(1) *Lege Pancharitis.*

Quot nec Lesbiolam ſuam popoſcit,
Vates multivolus, Catullus ille,
Catullus pater oſculationum.
Quid beatius o! tener Catelle,
Quid his amplius expetiſſe poſſis,
Avarus licet improbuſque voti?
At beatius ampliuſque quiddam,
Dat Diana tibi, dat illa quiddam,
Quod ſperare licet *diis* (1) nec ipſis.
Adſciſcit ſocium tori Diana,
Et te virgineo locat cubili.
Felix o! nimis, & nimis Catelle,
Amate uſque adeo meæ puellæ,
Quis, barbatule, quis, Catelle tanta
Non tibi invideat beatitates,
Queis ſperare nefas beatiores.

(1) *Deis* lege. *Dii*, *Diis*: Monoſyllabæ voces.

BASIUM IV.

Execratur dentes, quibus inter oſculandum papillas Dominæ læſerat.

O! Dens improbe, dire, ter ſceleſte,
Dens ſacerrime, Dens inauſpicate,
Tun' tantùm ſcelus auſus ut papillas,
Illas Panchari*dis* (1) meæ papillas,
Quas Venus veneratur & Cupido,

(1) *Pancharitis* & *Pancharitem*, à χάρις, χάριτος

Digitized by Google

Feris morſibus ipſe vulnerares ?
  Nec tecum reputas, miſelle, quanti
In te numinis excitaris iras ?
Qui dum Panchari*dem* meam laceſſis,
Omnes & Veneres, Jocos, Amores,
Et quantum eſt Charitum ſimul laceſſis.
  At tu, hoc pro ſcelere impioque facto,
Ne mî iraſcere, blanda Pancharilla :
Namque teſtor ego tuos ocellos,
Amo quos ego plus meis ocellis,
Et teſtor Veneris tuumque numen,
Quo majus mihi ſanctiuſque nullum,
Non has lædere mens fuit papillas,
Non has mens mihi, Diva, vulnerare.
  Verum ut ſe exeruit mihi ſuperbus
Tuarum ille decor papillularum,
Et has impulit ardor oſculari,
Ipſe ardentius æſtuans furenſque,
Compreſſi has nimium atque vellicavi.
  Hoc meum ſcelus impiumque factum eſt :
Pro quo mille adeo ſubire pœnas,
Pro quo mille velim ſubire cædes,
Si tantum ſcelus impiumque factum,
Ulla unquam queat expiare pœna,
Ulla unquam queat expiare cædes.
At ne hoc pro ſcelere impioque facto,
Ne mî iraſcere, blanda Pancharilla :
Ne mî iraſcere, cui ſuperba forma
Peccandi impoſuit neceſſitatem.

Digitized by Google

BASIUM V.

Præmonet animum ſuum, ut cautè cum Pancharide (1) *agat.*

Quo mi ſic animus repente fugit?
Fugit, quod reor, ad meam puellam,
Ad illa aurea vincla convolavit.
Ah! quo in exitium ruis miſelle?
Hi, quos aureolos putas capillos,
Quæ tibi aureolæ comæ videntur,
Non ſunt aureolæ comæ aut capilli,
Sed ſunt vincula, compedes, catenæ:
Sed ſunt retia nexileſque caſſes,
Quibus ſi ſemel occupatus hæres,
Peribis, moneo, ah! miſer peribis,
Nec ad me poteris miſer redire.
  Uſque ab unguiculis meam pererres,
Totam denique Pancharin retractes:
Illius licet ebrius lepore
Incubes oculis, labris, papillis;
Verum cautius involа capillis.
Nam prædico iterumque tertiumque,
His ſi retibus occuperis unquam,
Peribis miſer, ah! miſer peribis,
Nec ad me poteris miſer redire.

(1) *Pancharite.*

BASIUM VI.

AD MATTHIAM BRUERIUM, PROPRÆTOREM PARISIENSEM.

In amore jam incepto perſeveraturum ſcribit.

QUID tu me indomitum, Brueri, compeſcere Amorem,
  Ardoremque animi diſſimulare jubes?
Hei mihi! difficile eſt animum tractare furentem,
  Difficile urentes occuluiſſe faces.
Ecquid ego intuear lentus formoſæ puellæ
  Lumina, flammeolis irrequieta notis?
Intuear niveo turgentes orbe papillas,
  Aureolaſque comas, marmoreoſque ſinus:
Nec liceat libare ſinus, teretesque papillas,
  Nec liceat cupido figere dente genas?
Non oculis auſim, non oſcula ferre capillis,
  Oſcula vel regnis anteferenda mihi.
Ah! pereat qui ſic moderari pectoris æſtus,
  Ah! pereat qui ſic lentus amare poteſt.
Excubet inde licet duræ cuſtodia matris,
  Excubet inde viri ſuſpicioſa fides;
Garriat hinc vulgus tacitoque immurmuret ore,
  Et toto fiam fabula nota foro:
Nec duras matrum excubias, vel torva mariti
  Lumina, nec vulgi murmura vana moror.
Sint fora, templa, viæ, portus, populoſa theatra
  Et ſint ardoris conſcia rura mei.

Digitized by Google

Sic vixere patres, rexit quos aurea virgo,
  Et quos falciferi ſceptra beata ſenis.
Errabant mixti nudis per rura puellis,
  Et ſuus hærebat cuique perennis amans.
Longos alloquiis ſoliti producere ſoles,
  Mille & blanditias, mille ciere jocos:
Gaudia ducebant nullo intercepta pavore,
  Gaudia quæ Cyprio tota liquore madent.
Diſſimulent ſimulentque alii, & pro tempore fingant,
  Hæc me libertas vitaque avita juvat.
Nam quid nos caſto velum obtexamus Amori?
  Pro Venus! an ſcelus eſt numen amare tuum?
Nec Dî ergo ſceleris, ſceleris nec Jupiter expers,
  Denique pars cœli crimine nulla vacat.
Quis Phœbi Chionem, quis Bacchi Gnoſida neſcit?
  Quis falſi raptus per freta longa bovis!
Cui vel olorini non cognita furta Tonantis
  Aut ducta Herculea mollia penſa manu!
Vivamus, mea lux, Divûmque exempla ſequamur:
  Ire juvet quo nos æſtus amoris agit.
Si ſcelus hoc, peccem Divis auctoribus ultro,
  Nec me pœniteat criminis eſſe reum.

Digitized by Google

BASIUM VII.

Invitam oſculabitur.

Amabo, mea lux, mei lepores,
Meum melliculum, mei furores,
Hos meique animi, meique cordis,
Sine exoſculer illices ocellos.
Sine exoſculer aureos & illos,
Quos Apollinis aureiſque Bacchi
Auſim crinibus anteferre crines.
Quid tu ingrata nimis, nimiſque dura,
Id tu præmioli tuo poëtæ,
Id ſolatioli negas amanti?
An mî delicias facis jocoſa,
Quodque plus cupis, hoc negas roganti,
Invita ut videare mî dediſſe?
Invitam licet ergo te prehendam,
Et collo injiciam manus, & ora
Conferam oribus, & labella labris;
Et neges licet uſque pernegeſque,
Luƈteriſque mihi, & mihi mineris,
Uſque ad baſia mille basiabo.
Tum me morſibus hinc & inde figas,
Et os unguibus hinc & inde vellas,
Nec morſus metuam unguiumve ſulcos;
Quin quanto altius unguibus notaris,
Quanto fixeris acriore morſu,
Tanto baſia preſſiora figam,

O v

Digitized by Google

Tanto & ipſe premam arctiore nexu.
O! mellitula prælia, o! ſuaves
Dentium mihi morſicationes!
Vis o! Panchari, me beare? Semper
Mihi baſia pernega roganti,
Semper ut rapiam fruarque raptis.

BASIUM VIII.

Amicæ ſalutem precatur.

SALVE, melque meum atque amaritudo,
Otiumque meum, negotiumque,
Meus Phoſphorus Heſperuſque, ſalve.
Salve, luxque mea & meæ tenebræ;
Salve, errorque meus meuſque portus.
Salve, ſpeſque mea & mei pavores;
Salve, nilque meum, meumque totum.
Sed quid pluribus? O! ter ampliuſque,
Tota Pancharis acharifque, ſalve.

Digitized by Google

BASIUM IX.

Vult ut Domina aſſiduè ipſum exoſculetur.

DA, mî ocellule, da, tenelle mi flos,
Da, columba mea atque turturilla,
Tot incendia cordis æſtuantis,
Compeſcam tepido imbre baſiorum.
Da rore humiduli tui labelli,
Rigem pectoris igneum furorem.
O! heu quid volui? Heu, puella, parce,
Et hæc flammea ſubmove labella,
Queis auges animæ furentis æſtus,
Et torres magis, & magis peruris,
Ut plane miſero nihil ſuperſit
Quam mox in tenues eam favillas.
Ah! quid flammea ſubmoves labella?
Oſque ab ore meo repente vellis?
Profer flammea, profer hæc labella,
Et torre aſſiduo igne baſiorum:
Iſtis me juvat ignibus perire,
Oethæo veluti rogo probatus
Hinc cœlum novus Hercules reviſam.

Digitized by Google

BASIUM X.

Miratur ſuavitatem & amaritudinem Pancharillæ.

CUM ſis mellea tota, tota ſuavis,
Ut mellita magis nec ipſa mella,
Nec ſic ſuavior ipſa ſuavitudo:
Quî tot ſpicula delibuta felle
Evibras oculis, tuiſque labris
Tantam amaritiem mihi propinas?
  Rurſus tu quoque, Pancharilla, tota
Cum ſis fellea, ſis amara tota,
Mage ut fellea ſint nec ipſa fella,
Non amarior ipſa amaritudo:
Quî tam dulcia mella baſiorum
Tam dulcem ambroſiam mihi labella
Propinant tua? quî tuis ocellis
In me ſpicula tam benigna vibras?
An vis iſta tui eſt, Puella, ocelli,
An vis iſta tui eſt, Puella, labri,
Ut me felle beent ſuaviore,
Ut me melle necent amariore?
O! amarities nimis ſuavis!
O! amara nimis ſuavitudo!

Digitized by Google

BASIUM XI.

Exoptat ſe Florem illum eſſe, quo uteretur Amica.

Ergo floſcule, tu meæ Puellæ
Hoc florente ſinu uſque conquieſces?
Ergo tu Dominæ meæ papillis
Beatus nimis inſidebis uſque?
O! ſi, floſcule, mî tua liceret
Iſta ſorte frui, & meæ puellæ
Incubare ſinu, atque deſidere
Hos inter globulos papillularum,
Non ſic lentus inerſque conquieſcam,
Non ſic inſideam otioſus uſque:
Sed toto ſpatio inquietus errem
Et feram ſinui, feramque collo
Mille baſia, mille & huic & illi
Impingam globulo oſculationes.
Nec mihi ſatis hæc putes futura:
Namque & diſcere curioſus optem
Quid diſcriminis inter hunc & illum,
Et quantus tumor hujus illiuſque:
Quantum *albedine* (1) præſtet hic vel ille,
Quantum duritie hic vel ille vincat:
Siniſterne globus, globuſne dexter
Figura placeat rotundiore:
An dexter globus, an globus ſiniſter

(1) *Albedo*, vox uſurpata tantùm in Gloſſis, *Albor* Varroni.

Digitized by Google

Papilla rubeat rubentiore.
Explorem quoque quo beata ducat
Illa ſemita quæ globos gemellos
Sic diſcriminat, & ſubeſſe clamat
Mellitum magis eleganſque quiddam.
Indagem quoque quicquid eſt latentis,
Et labar tacitus ferarque ſenſim
Uſque Cypridis ad beata regna.
At mî Pancharidis meæ papillas
Nec ſummo licet ore ſuaviari,
Nec levi licet attigiſſe palma.
O! ſortem nimis aſperam atque iniquam!
Tantillum illa negat mihi petenti,
Tantillum illa negat mihi ſcienti,
Quæ tantum huic tribuit nec id petenti,
Quæ tantum huic tribuit nec id ſcienti.

BASIUM XII.

Beatum ſe prædicat, ſi Domina ſua illius memor ſit.

ICON ocyus ad meam puellam,
Dic ut me coquit ardor inſuetus:
Dic ut mille premunt amaritates:
Dic ut imbre mihi perenniore
Madent lumina: Dic ut ipſe vitam,
Hîc traho anxius inquieſque curis.
Sed inter tamen has amaritates,

Has inter lacrymas & inter ignes,
Si tantum meminit puella noſtri,
Dic me vivere vel nimis beatum.

BASIUM XIII.

Παραβολὴν inſtituit inter Cometam & Pancharidem (1).

QUALITER exoriens ferali crine Cometes,
In ſeſe populorum acies convertit & ora
Undique, & inſolito perculſas lumine mentes
Territat: horreſcunt diræ formidine cladis,
Mortales, certique pavent incendia belli:
Sic ſe ubi Pancharidis puro jubar ore coruſcans
Exerit, & cœli major micat ignibus ignis:
Hærent obtutu populorum lumina, & alto
Corda pavent ſuſpenſa metu, bellique neciſque,
Flammarumque,animis trepidantibus incubat horror.

(1) *Pancharitem*, *Pancharitis*.

Digitized by Google

BASIUM XIV.

Spernit Dominam propter faſtum animi.

Sic me Neæra contumacior ſpernis?
Sic deſpicaris & fero fugis corde?
Fugis ſuperba, & vota ſupplicis rides:
Ridebo & ipſe tete, & in vicem durus,
Te deſpicabor, perfida, & tuos faſtus,
Faſtu retundam. Jamque tu mihi longum
Vale, Neæra, indigna cantibus noſtris,
Indigna Muſis. Marſias tibi ſemper,
Tuos habeto, teque Marſiæ ſemper,
Gens inficeta, plena rugis, inſulſa,
Averſa Muſis. Rurſus o! mihi rurſus,
Vale, Neæra, dedecus puellarum,
Urbiſque probrum. Nam quid ipſa me ſpernis,
Quid deſpicaris, quem Turilla formoſa,
Turilla blanda, flos Turilla Nympharum,
Complexa ſponte vindicatque jamdudum,
Sibique poſcit: quæque jam meo cantu
Superba tollit arduum caput cœlo,
Et ſe Corynnis ſeque Lesbiis confert.
At tu, Neæra, quam tuam vicem quondam
Tacita dolebis, & tuum argues faſtum?
Quam me requires & vocabis incaſſum?

BASIUM XV.

Conqueritur ſugam Pancharidis (1).

Quo ſic, Diva, fugis? quid ſic deſerta pererras
Avia, nec noſtri, nec memor ipſa tui?
Non metuis Fauni ne, dum incomitata vagaris,
Injiciant rapidas in tua colla manus?
Hos tu, diva, tuis longe complexibus arce,
Nec patere ingenuis oſcula ferre genis:
Nec vero ſic te oblitam noſtrique tuique,
Crediderim, licet eſt ſuſpicioſus amor,
Ut quibus effœtos artus depaſta ſenecta eſt,
Queis vires penitus diriguere gelu;
Et denſo veſtita quibus præcordia villo,
Et ſuffuſa genis hiſpida barba riget,
Anteferas, mea vita, mihi, cui corpore ſanguis
Integer, & pingit prima juventa genas.
Quanquam adverſa mihi & nimium contraria votis,
Non adeo adverſam te tamen eſſe putem.
At vos vel manibus, Fauni, violare puellam
Parcite, delicias nec temerate meas.
Furtiva nec falce meas invadite meſſes:
Totus ut hujus ego, tota puella mea eſt.
Sed quid te deſerta juvat per luſtra vagari?
Tot ne per anfractus me, mea vita, fugis?
I, fuge per nemora & ſaltus, per inhoſpita teſqua;

(1) *Pancharitis.*

Digitized by Google

Per nemora & ſaltus, per quoque teſqua ſequar.
Invia nulla mihi fuerit via, ſive natatu
Flumina, ſeu curſu vis ſuperare juga.
Nec me vel denſus lapidoſæ grandinis imber
Arceat, aut rapidi vis furioſa Noti;
Nec me flagranti revocarit Syrius aſtro,
Nec nivis æternæ terra adoperta gelu.
Nil me terruerit, quin quod natura pavorque
Ingenitus refugit, ſponte capeſſet Amor.
Fallor ego? haud noſtros ſic averſaris amores,
At tentare lubet quam mihi certa fides.
Non igitur pulſata mihi tot planctibus aſtra,
Non mihi tot ſylvis carmina dicta tuis;
Tot ſuſcepta mihi diſcrimina cæca viarum,
Tot ſuperati æſtus, tot ſuperatæ hiemes;
Tot mihi decurſæ per opaca ſilentia noctes;
In te ſunt animi pignora certa mei?
His licuit tentaſſe ſatis. Jam parce labori
Ingrato, ingratæ, lux mea, parce fugæ.
Sed fugit ah! ventiſque preces ludibria mandat.
O! nimium fortis aſpera fata meæ!
Sic ego ſum duræ natus ſervire puellæ?
Sic erit immitis ſemper ut angat amor?

BASIUM XVI.

Exaggerat felicitatem & infelicitatem in oſculando.

Donec preſſius incubo labellis
Et *diduco* (1) avidus tuæ, Puella,
Floſculos animæ ſuaveolentes,
Unus tum videor mihi Deorum
Seu quid altius eſt beatiuſve.
Mox ut te eripis, ecce ego repente
Unus qui ſuperûm mihi videbar,
Seu quid altius eſt beatiuſve,
Orci mî videor relatus umbris,
Seu quid inferiuſve triſtiuſve.

(1) Admodum impropriè *diduco* pro voce ſimplici *Duco*, quam apud Aul. Gell. L. XIX. c. 11. ſenſu genuino habes:
Dulcemque florem ſpiritûs
Duco ex aperto tramite.

BASIUM XVII.

Expetit modum in oſculando.

Tune Pancharidis, (1) meæ labellis
Infelix animæ auſus incubare?
Auſus ſugere mella baſiorum?
Auſus nectare delicatiore

(1) *Pancharitis.*

Digitized by Google

Tete proluere ? heu, miſelle, parce :
Nam dum ſugere mella, dumque nectar
Credis ebibere, ebibis venena,
Et incendia ſugis & furores.
Non ſentis etenim ut tuos per artus
Erret flamma furens, latenſque virus
Serpat in jecur intimaſque venas :
Dum tu incautior hinc & inde ſugis,
Et hauris Dominæ meæ labella.
Maligna ah ! Dominæ nimis labella,
Quæ me tam miſeris modis habetis,
Ne ſævite adeo, labella bella,
Sæviiſtis ſatis atque torruiſtis.
Nunc reſtinguite flammeos calores,
Nunc diſperdite fluctuans venenum,
Paulum baſia veſtra temperate :
Volo baſia, non venena & ignes.

BASIUM XVIII.

Execratur Pancharidis (1) pulchritudinem, quâ captus erat.

SALVETE aureolæ meæ puellæ
Crines aureolique criſpulique.
Salvete & mihi vos puellæ ocelli,
Ocelli improbuli protervulique.
Salvete & veneris pares papillis
Papillæ tereteſque turgidæque,

(1) *Pancharitis.*

Salvete æmula purpuræ labella :
Tota denique Pancharilla ſalve.
Quin vos aureoli perite crines,
Et vos improbuli perite ocelli,
Vos & turgidulæ perite mammæ,
Perite æmula purpuræ labella;
Tota denique tota tu perito
Qua viſa perii repente totus.

BASIUM XIX.

Dicit lachrymas Pancharillæ non eſſe lachrymas, ſed flammas & incendia amoris.

At mî dicite, lacrymæ tenellæ,
Vos quæ candidulæ meæ puellæ
Os argenteolo rigatis imbre,
Quî fas naſcier hîc puellæ ocellis,
Qui toti igneoli undequaque ſpargunt
Tot incendia miſſileſque flammas ?
Verum fallor ego, & tuæ, Puella,
Quæ mihi lacrymæ & putantur imbres,
Non ſunt hæ lacrymæ aut aquoſus imber
Sunt incendia flammeæque guttæ
Quæ me ſic adeo intime perurunt,
Conſumpta ut rapidi caloris æſtu,
Jam mî pectora tota colliqueſcant.
Quid jam non igitur miſelli amantes
Sperent aut metuant, quibus creare
Undam flamma poteſt & unda flammam.

Digitized by Google

BASIUM XX.

Scribit ſe nunquam poſthac aditurum Pancharillam.

QUID o! Cupidinis duces,
Ocelluli laſcivuli,
Me prodidiſtis inſcium,
Auſi tueri fixius
Vultus puellæ lubricos?
Quorum nitore, ceu novi
Perculſus ictu ſideris,
Humi repente corrui.
Quid o! pedes audaculi,
Me ſic iiſtis perditum,
Dum me vagantem ſiſtitis
Ad illa divæ limina,
Ubi furore ſaucii,
Hanc penè vitam liquimus?
Quid o! manus protervulæ
Sic irruiſtis in ſinum
Et lacteas papillulas,
Ut hinc amoris diffluens,
Serpenſque ſenſim in intimos
Artus, venenum cor mihi,
Pectuſque totum abſumeret?
At ipſe veſtram comprimam
Ferocientem inſaniam,
Et turgidos licentia

Iſtos domabo ſpiritus.
Nam vos, pedes audaculi,
Premam deinceps compede;
Et vos, manus protervulæ,
Arctabo duris vinculis;
Et vos, ocelli, faſcia
Laſcivientes obtegam:
Ut nec tueri, ocelluli,
Vultus puellæ lubricos:
Nec involare vos, manus,
In lacteas papillulas:
Nec illa poſthac vos, pedes,
Poſſitis unquam ſiſtere
Ad Pancharillæ limina.

BASIUM XXI.

Petit a Cupidine ut finem baſiis imponat.

An non, ſæve puer, ſatis ſuperque eſt
Tot me pectore parturire flammas,
Tot ignes premere intimis medullis,
Ni ſuſpiria ventilentque flammas
Accendantque animi æſtuantis ignes?
Jam ſuſpiria, jam modum furori
Tandem ponite: ſat meos per artus
Furit flamma, furit malignus ignis.
At vos, ô lacrymæ profuſiores,
Adeſte, & miſerum levate amantem:

Digitized by Google

Adeſte atque animi æſtuantis ignes
Contra immergite largiore rivo.
Heu ? quî me lacrymæ levare poſſint ;
Quîve extinguere tot caloris æſtus ,
Quas incendia , quas mei voraces
Flammæ pectoris ebibere totas ?

BASIUM XXII.

*Conqueritur cor ſuum à Panchar*ide (1) *eſſe furto ablatum.*

Errabam in ſilvis, erranti retia mille,
Mille puella plagas inſidioſa parat.
Occupat incautum, corque in ſua retia tandem
Trudit, & æterna compede dura premit.
Hei mihi ! ſic caſſes, ſic vincula nectis amanti ?
Hei mihi ! ſic miſero cor violenta rapis ?
Non queror eſſe tuum : ſed eram quod ſponte daturus,
Cor mihi te furto ſurripuiſſe queror.

(1) *Pancharite.*

BASIUM XXIII.

*Quæritur de Panchar*ide (1), *quod illa ſit ſævior malignior que tonitru & fulmine.*

VENI ad Panchari*den* (1) meridiatum,
Cum mox inſolito fragore cœlum
Concuſſum tonat, ignium que late
Triſulcis jaculis coruſcat æther.
Illa femineo pavore languens
Ruit protinus in ſinus amantis:
Et » ſerva miſeram, inquit illa, ſerva ».
Ego ſollicitam & nimis paventem
Suſtentans gremio, quid o! puella,
Quid me poſcis opem, jubeſque te te
Ut ſervem, nimium meticuloſa,
Quæ ſic fulgura vana pertimeſcis,
Tonitruſque paves, inane murmur
Quin meme miſerum, puella, ſerva
In quem letiferis tuis ocellis
Multo fulgura tu maligniora,
Multo fulmina ſæviora vibras.

(1) *Pancharite. - Panchariten.*

Digitized by Google

BASIUM XXIV.

Comparationem facit inter ſemetipſum, & Roſam rubentem & pallentem.

En flores tibi mitto diſcolores,
Pallentemque roſam & roſam rubentem.
Illam cum aſpicies, miſelli amantis
Puta pallidulos videre vultus:
Cum tueberis hanc rubore tinctam,
Putes igne rubens cor intueri.

BASIUM XXV.

Vult ut Pancharis eodem oculo pereat, quo ille periit.

Amabo, hunc mihi commodes ocellum,
Hunc tuum improbulum, puella, ocellum
Qui tot tela vibrat, vibratque flammas.
Quid acturus eo, puella, quæris?
Ut hinc tela petam, petamque flammas,
Quibus quot perii miſellus olim,
Tot & tu pereas, miſella, telis,
Tot & tu pereas, miſella, flammis.

BASIUM XXVI.

AD D. FRANCISCUM MYRONEM, Senatorem Pariſienſem.

Qualem velit Amicam.

Sit in deliciis puella, Myro,
Quæ claris radiat ſuperba gemmis;
Quæ monilibus atque margaritis
Tota conſpicua, atque onuſta tota eſt.
Sit in deliciis amoribuſque,
Quæ creta ſibi, quæque purpuriſſo
Et veneficiis colorat ora.
Placet, Myro, mihi puella ſimplex,
Cui nativa genas rubedo pingit,
Nativuſque pudor. Placet puella
Ore virgineo & decente cultu,
Artis neſcia, negligenſque fuci.
Placet denique quæ nihil monilis,
Nil gemmæ indiga, nilque margaritæ,
Pollet ipſa ſatis ſuapte forma.

Digitized by Google

BASIUM XXVII.

Ad eundem.

Conqueritur perſidiam & inconſtantiam Pancharidis (1), *& ſubjungit ſe illam tamen amaturum, quamvis alii viro, militi putà, nupſerit.*

Aspice quàm dubia, Myro, me verſet arena,
  Aſpice quos ludos ludere ſuerit Amor.
Illa ſuis quæ plus oculis me nuper amabat,
  Alterius nunc eſt facta puella viri.
Ah! genus inſtabile & maleſidum femina nomen,
  Quam ſibi conſtantem non videt una dies!
Hæc erat illa fides, qua tu jurare ſolebas
  Te propriamque mihi perpetuamque fore?
Sed non fallacis querimur perjuria linguæ:
  Non querimur læſos ſæpius ore Deos.
Quæ ſit facta Diis, ſit Dîs injuria curæ,
  Quos video ultores poſt caput eſſe tuum.
Te queror indigni te militis eſſe maritam:
  Te queror ingenuam barbara vincla pati.
Ah! mihi tu poteras victrix præfigere leges:
  Jura mihi poteras imperioſa dare.
Nec leges mihi turpe tuas, & jura ſubire:
  Parere imperiis nec mihi turpe tuis.

(1) *Pancharitis.*

Digitized by Google

Ruſticus eſt nimium, verique ignarus amoris,
  Quem pulchræ dominæ juſſa ſubire pudet.
Nunc te etiam, licet ipſa aliò traduxeris ignes,
  Et licet odiſti, ſemper amabo tamen.
Nunc etiam legeſque tuas, tua juſſa capeſſam:
  Nunc etiam nutus imperiumque ſequar.
Tu ſi forte mihi priſcum impertire favorem,
  Si miſerum rurſus, perfida, amare negas;
Finxeris at certe, certè ſimularis amare:
  Sat mihi fictus erit, ſat ſimulatus amor.

BASIUM XXVIII.

Execratur Muſas, utpote Pancharidis (1) *amores non augentes.*

Ite, quando nihil juvare amantem,
Quando conciliare nec poteſtis
Adverſam nimium mihi puellam:
Ite in exitium malaſque flammas,
Muſæ pernicies meæ juventæ.
  Nam quid illa meo ſuperba cantu
Famam in poſtera ſecla prorogabit,
Quæ meas toties precationes
Sprevit aſpera contumaxque flecti?
  Quin vos quin potius ſubite flammas,
Quin vos quin potius valete in ignes,
Camœnæ mihi non bene auſpicatæ.

(1) *Pancharitis.*

Digitized by Google

Verum pignus ego meique amoris,
Et meæ fidei obſides camœnas
Sceleſtus jubeam valere in ignes?
Ego nomina clara Pancharillæ,
Quibus vel Venus invidere poſſit,
Diris devoveam uſtulanda flammis?
Quin vos vivite clara Pancharillæ
Meæ nomina, vivite o! Camœnæ;
Nec incendia nec timete flammas.
Unum me ſatis æſtuare flammis:
Unum ſit ſatis ignibus perire.

BASIUM XXIX.

Comparat malum ſuum Venereum cum malo Promethei, Tityi, Siſyphi, &c.

Nec cœlum aſſiduo madeſcit imbre,
Nec mare aſſiduis tumet procellis:
At mihi aſſiduo imbre lacrymarum
Ora tota madent, mihique pectus
Curarum aſſiduis tumet procellis.
Non terras petit uſque & uſque fulmen;
At me fulminibus nocentiora
Uſque tela petunt, & uſque flammæ.
Non ſemper miſerum vorat Prometheum,
Nec ſemper Tityum malignus ales:
At malignior uſque mî Cupido,
Et fibras vorat, & vorat medullas.

Digitized by Google

Non Ixiona Siſyphumve pondus
Urget perpetuum : at mihi perenne
Pondus incubat, at me & uſque & uſque
Dolorum rapit orbis inquietus.
O ! me ter miſerum ! o ! nimis ſiniſtro
Natum ſidere, Diiſque inauſpicatis !

BASIUM XXX.

Conqueritur ſe juſtam moriendi cauſam non habere.

NON ego, Diva, queror blandæ modulamine vocis,
Quod me excantaris ſurpueriſque mihi.
Non ego, Diva, queror, dulci quod nectare tincta
E labris animam mî tua labra trahunt ;
Non quod mî pæto furata es lumine pectus,
Aſt unum infelix hoc ego, Diva, queror :
Dum ſic occumbo, tam dulci occumbere leto,
Ut leti non ſit juſta querela mei.

BASIUM XXXI.

Petit Baſium a Pancharide (1), & optat ut inter baſiandum expiret.

PANCHARI, virgineos inter flos unice flores,
Panchari, pars animæ dimidiata meæ:
Cujus labra roſas ſpirant, violaſque capilli,
Spirant cinnameum candida colla nemus.
Da mihi da preſſim luctantibus humida linguis
Baſia per longas continuata moras.
Qualia dat caſto turtur ſociata marito,
Qualia amatori blanda columba ſuo.
Nec numera, ut cupido numerabat Lesbia vati:
Illa dare ex animo, non numerare juvet.
At tu dum cupido miſcebis baſia amanti,
Junge oculos oculis, & labra junge labris.
Nec penitus clauſa ora tene, nec aperta licenter,
Ut nec clauſa juvant, ſic neque hiulca decent.
Sit ſatis ad pulſum linguis feciſſe duabus,
Innocuoque brevem dente dediſſe viam.
Occurrat veniens venienti lingula linguæ,
Alteraque alterius mobilis ore natet.
Ne tota committe tamen mihi prælia lingua,
At ſumma tantum cuſpide bella gere.
Dumque tuam exſugam, tu noſtram exſuge viciſſim;
Dum te dente petam, me quoque dente pete.

(1) *Pancharite.*

Digitized by Google

Sint voces querulæ, ſint blæſula verba loquentûm,
  Nec deſint tremulo murmura blanda ſono.
Poſtremò in noſtris animam depone labellis:
  Hîc morere, aut certe finge petulca mori.
Sic eſt, & cupidum tandem exorata beaſti,
  Eſtque anima in labris noſtra relicta ſuis.
Omnibus e membris illuc ſtimulata cucurrit,
  Tanquam perpetuas hîc habitura moras.
Sic eat & redeat toties, erretque labellis,
  Dum ſe animæ penitus miſceat illa tuæ.
Nec tu animam ex anima poſſis divellere noſtra,
  Ut noſter nunquam diſſoluetur amor.

BASIUM XXXII.

Rogat Venerem, ut ſi forte in prælio Baſiorum expiret, animæ illius hæres eſſe non dedignetur.

CUM certamina mox futura verſo,
Tot mentem illecebræ meam *titillant* (1),
Sola ut ebria cogitatione
Jam tum deficiat. Quid ergo ſoſpes
Hæc certamina perferam cruenta ?
Quem certaminis ipſa vel futuri
Cogitatio vulnerare poſſit ?
O ! Venus bona, quæ bonos amantes
Una numine proſpero tueris,
Hoc ſi me miſerum impotentiore
Contingit cadere immorique bello,
Accipe hanc animam, & beatoris
Duc in florida me vireta Cypri.

(1) In verbo *titillant*, longum eſt *ti*, quod hic malè correptum.

Digitized by Google

PERVIGILIUM

Veneris.

O nox ſuavicula! o bonæ tenebræ!
Tenebræ mihi luce clariores,
Quæ meam Venerem & Suavitatem,
Cor vitamque meam mihi attuliſtis.
  Nunc te poſſideo, alma Pancharilla,
Turturilla mea, & Columbulilla!
Nunc blandæ Veneri licet litare:
Longæ præmia nunc moræ referre,
Amplexuque mihi frui cupito.
Ferox, improba, dura, quid moraris
Sic me languidulum? quid illa linguæ
Mella ſugere, quid ſuavis auram
Oris colligere, & tenaciora
Vetas conferere invicem labella?
Quod voto tacito unicè requiris,
Cur id, dura, mihi negas roganti?
At prior cupias licet, pudica,
Et frontis tetricæ cupis videri:
Spernens (credere ſi licebit unquam)
Molles nequitias libidineſque.
  At te per faculas tuas micantes,
Et hæc æmula purpuræ labella
Oro, perque genas, & hunc capillum,

Digitized by Google

Qui formoſa vagus flagellat ora,
Oro perque ſinus, & has papillas
Primulùm tibi jam ſororiantes,
Has gemmas geminas pari decore
Surgentes, geminis pares pyropis,
Ne Cupidine jamdiu æſtuantem
Eneca. Ah! perii miſer, quid? Imo
Jamdudum perii, niſi benigna
Faves ocius, ociuſque cordis
Tot incendia, Pancharilla, ſedas.
Me Venus bona, me Cupido ſerva!
Mî mens inſolitum furit furorem,
Neque hunc ferre poteſt furoris æſtum.
Hæc ſuſpiria & has preces trahebam
Imo a pectore, jam neci propinquus,
Quum victæ ſubito ira detumeſcit;
Et mox virgineo pudore leves
Interfuſa genas, & ora caſto
Spargens molliter imbre lacrymarum:
» Tota, inquit, tua Pancharilla, tota eſt
» Mutuo tibi mancipata nexu ».
Cum dicto ſimul oſculum propinat,
Ultro ſe admovet, & prudenter audax,
Seſe in brachia nexuoſa dedit.
Ego compoſitam aureo cubili
Totum verto in eam furoris ignem,
Quæ mî incendia tanta ſuſcitavit.
Toto corpore pronus in ſuaves
Amplexus ruo, cruribuſque crura,
Pes pedi, femori femur recumbit:
Digitized by Google

Hærent oribus ora, labra labris,
Firmo pectora glutino cohærent.
Jamque Cypridis aurea vireta,
Jam Cupidinis hortulos pererro,
Vere perpetuo hortulos virentes;
Hinc roſas teneras legens, & inde*
Narciſſum, violas, amaracumque,
Mellitis nimis atque delicatis,
Uſque ad invidiam oſculis fruiſcor.
Stricto corpora colligata nexu
Confundunt animas: duellum utrinque
Commiſcent tremulæ per ora linguæ.
O! quot lectulus & lucerna pernox
Molles delicias utrinque vidit!
Dum ſtrictim appliciti arctiore vinclo
Hæremus calidi, Venuſque venis
Diffuſa interioribus, tepente
Artus languidulos liquore rorat,
Alternantibus oſculis, utrinque
Occurſantibus hinc & inde linguis,
Conniventibus hinc & inde ocellis.
Tum dico: Superi tenete cœlum,
Veſtram numina poſſidete ſortem.
Dum te teneam, alma Pancharilla,
Dum te poſſideam, nec ipſe cœlum,
Nec veſtram Superi invidebo ſortem.
Et nunc roſcida labra ſuaviari,
Et nunc mollibus immori lacertis,
Nunc patrantibus innatare ocellis,
Nunc & brachia tortili capillo

Digitized by Google

Impedire juvat, modo oſculari
Anhelas tremulo ſinu papillas,
Papillis Veneris pares papillas,
Altrices animæ meæ papillas.
Nunc ſaltu volucri inſilire collo,
Nunc candente genas notare dente,
Nunc errare manu licentiore
Illa per femora, illa perpolita,
Illa marmoreo ſuperba luxu
Quibus janitor excubat Cupido,
Et ſacram Veneris tuetur arcem.
Mille ludimus oſculis protervi,
Ut colludere turturique turtur,
Columbæque ſuæ ſolet columbus:
Certatimque damus notas amoris,
Certatimque damus notas furoris
Et transfudimus ore ſemihulco
Errantes animas & hinc & inde.
Hæc nos prælia militamus inter
Sudores varios anhelituſque,
Dum feſſa Venere artubuſque tritis,
Et jam deficientibus medullis,
Et jam deficiente corde anhelo,
Cogor languidulos inire ſomnos:
Mox & ſuccidaum recondo collum
In meæ tenero ſinu puellæ.
Illa, interpoſita minus vel hora,
Pungit ſæpicule, atque dormientis
Aurem velliçat, & ſubinde tractat,
Et me verberat oſculis ſubinde,

Digitized by Google

Et parcente petit labella morſu.
Tum me blanda iterum vocans ad arma
Sic, ignave, jaces ſopore victus,
Sic ceſſas ? ait. Hîc repente lento
Sopore excutior, juvatque gnavum
Ad Cupidinis arma proſilire;
Juvat cominus, eminus ferire,
Et cæſim juvat, & ferire punctim.
Jamque vulnere dulce ſævienti
Hoſtis tranſadigo intimas medullas.
Reddit multiplices vices uterque,
Et ſubſultibus hinc & inde crebris
Spiſſat officium: novas uterque
Serit delicias, ſerit lepores,
Uterque improbulos jocos, uterque
Fingit blanditias proterviores,
Facit nequitias ſalaciores;
Omnes Cypridis induit figuras,
Donec corpora *miſcuo* (1) furore
In unum coëunt amica corpus.
Millies mihi millieſque ſalve,
Nox felicibus invidenda Divis,
Quâ nec Juno mihi beatiorem,
Nec poſſit Venus ipſa polliceri!
Salvete o! mihi candidæ tenebræ,
Tot inter Veneres, *ſalaciaſque* (2)

(1) *Miſcuus*, vox barbara.

(2) *Salacias* pro *Salacitates* longè a Synonymiâ. Dea *Salacia* apud Romanos Maris reciprocationes regebat, & ſæpius uſurpata pro mari ipſo.

Digitized by Google

Et tot blanditias *faventiaſque* (1),
Et tot illecebras lubentiaſque,
Et ſuſpiria, murmura, & ſuſurros;
Et convitia mutuoſque quæſtus,
Luſus, oſcula, tinnulos cachinnos,
Rixas, prælia, morſicationes,
Iras, vulnera, *lingulationes* (2),
Vitas atque neces reciprocantes,
Et tot nequitias, mihi peractæ!

(1) *Faventiæ*, verbum obſoletum.
(2) *Lingulationes*, vox ficta ab auctore, Græcorum καταγλωττίσματα referens.

Insuper obſervanda quæ ſequuntur. *S u a ve* paſſim diductum in tres ſyllabas, contra veteris Latii conſtantem uſum, qui diſſyllabum facit — *Baſ.* VI & XV. *Suſpicioſa* fides, *ſuſpicioſus* amor : Poeta ſyllabam *pi* mendosè corripit, quæ producta ſemper a Grammaticis, utpote manans a ſubſtantivo femin. *Sūſpīcĭō*, onis. — *Baſ.* VII. *Melliculum*, pro τό *melculum*, ipſi malè lectum in Plauto — *Baſ.* XIV. *Deſpicari* pro *ſpernere*, &c. &c.

FINIS.

Digitized by Google

JOACHIMI BELLAII

AMORES ET VARIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOACHIMI BELLAII,

ANDINI

AMORES.

AD GORDIUM.

CUI donem potius novum libellum,
Quo raptum refero meæ puellæ,
GORDI, quàm tibi, qui meam puellam
Sic amas, propriam ut putes ſororem?
Quare quidquid id eſt novi libelli,
Gordi, quos tibi nunc damus legendum,
Sic velim accipias, ſcias ut illam
A me plus oculis meis amatam,
Et te plus oculis meis amatum.

AD VENEREM.

BELLA per Æmathios non hìc civilia campos,
Fraternas acies, arma virumque cano.
Nec quoque fert animus mutatas dicere formas,
Raptoris Stygii nec memorantur equi.

Digitized by Google

Æneadum genitrix cauſa eſt mihi carminis una:
  Materiam vati da, Venus alma, tuo.
Tu quoque Fauſtinam nobis, formoſa, dediſti,
  Qua nihil eſt tota pulchrius Auſonia.
Hac mihi ſublata, periit mihi priſtinus ardor,
  Et quidquid mentis vel fuit ingenii.
Redde ergo ingenium ſolitaſque in carmina vires;
  Fauſtinam potius ſed mihi redde, precor.

RAPTUS FAUSTINÆ.

Qualis tartareo quondam Proſerpina curru,
  Dum vaga diſcurrit ſaltibus, Enna, tuis:
Nocturnis nuper rapta eſt Fauſtina quadrigis,
  Dum tenet ah! demens limina aperta domûs.
Rapta eſt, me miſerum! & cœco ſub carcere clauſa,
  Conjugis ingrato nunc gemit in thalamo.
Et nunc ille ferus tanquam de virgine rapta
  Exultat, noſtris heu! fruiturque malis.
Interea infelix mater lymphata per urbem
  Currit, & ignotas excubat ante fores;
Te ſolam, Fauſtina, vocans, tua lumina quærens,
  Quæſiſſe ut natam dicitur alma Ceres.
Aſt ego, quem aſſiduo torret malus igne Cupido,
  Deferor, ut noto concita Baccha Deo.
Nec dubitem æratos liceat ſi rumpere poſtes,
  Duraque nocturna ſolvere clauſtra manu;
Irruere armatus, vel ſi hoc mala noſtra ferat ſors,
  Perferre audacis vincula Pirithoi.

Digitized by Google

FAUSTINAM PRIMAM FUISSE, QUAM ROMÆ ADAMAVERIT.

Ipse tuas nuper temnebam, Roma, puellas,
Nullaque erat tanto de grege bella mihi.
Et jam quarta Ceres capiti nova ſerta parabat,
Nec dederam ſævo colla ſuperba jugo.
Riſit cæcus Amor. Tu vero hanc, inquit, amato:
Fauſtinam nobis indicat ille ſimul.
Indicat, & volucrem nervo ſtridente ſagittam
Infixit nobis corda ſub ima puer.
Nec ſatis hoc: tradit formoſam in vincla puellam,
Et ſacræ cogit clauſtra ſubire domûs.
Haud prius illa tamen nobis erepta fuit, quam
Venit in amplexus terque quaterque meos.
Scilicet hoc Cypris nos acrius urit, & ipſe
Altius in noſtro pectore regnat Amor.

AD JANUAM FAUSTINÆ.

Hæc domus, hæc illa eſt noſtros quæ claudit amores;
Ah! nimis atque nimis janua, dura mihi!
Tu veneres, ingrata, meas, luſuſque jocoſque,
Tu cohibes vinclis gaudia noſtra tuis.
At nunc ille ſenex forſan roſea illa labella
Sugit, & amplexu mollia membra premit.
Interea vagus atque excors, ſine mente animoque,
Limina nocturnis nota tero pedibus;
Et circumſpicio Lyncæo lumine, ſi qua
Rimula ſit noſtris forte patens oculis.

Digitized by Google

Nulla patet, vel ſi qua patet, ſunt omnia muta,
Vocibus ac noſtris pervia nulla via eſt.
Hei mihi ! quod dominæ nullâ ratione potis ſum,
Me dulce in gremium mittere per tegulas.

SE PERPETUO FAUSTINÆ MEMOREM FUTURUM.

Quod ſcelus admiſi infelix ? Quæ numina læſi,
Ut mihi ſic, mea lux, eripienda fores ?
Nam cui tam ſubitò tot gaudia ſunt prærepta,
Iratos omnes huic decet eſſe Deos.
Ergo te poſthac nunquam, mea vita, videbo?
Audiero abſentis nec tua verba miſer?
At certe infixi noſtro ſub pectore vultus,
Fixaque perpetuo verba loquentis erunt.
Hoc mihi non ſuperi abſtulerint, non Jupiter ipſe,
Non ſi me toto fulmine dejiciat.

DE VULCANO ET MARITO FAUSTINÆ.

Ut Martem & Venerem vinclis excepit, & aſtu
Mulciber & coelo fabula nota fuit :
Sic tu ex inſidiis Fauſtinam ſurripuiſti,
Scilicet ut tota notus in urbe fores.
At cur non aſtu ſimili, ſimilique catena
Me me etiam vinctum maxima Roma videt?
Sic te ulciſci ambos, conjux generoſe, decebat:
Hoc demum poteras Mulciber eſſe modo.

Digitized by Google

CUR SIT IRATUS MARITO FAUSTINÆ.

NON te ideo (ne forte aliquis nos dicat ineptos)
Damnamus noſtris impie, verſiculis,
Quod tu Fauſtinam nuper de nocte ſilenti
Materno ſævus traxeris e gremio:
Quodque illi miſeræ, & duro ſub carcere clauſæ,
Omnia crudelis gaudia ſuſtuleris.
Novimus & leges, & quæ ſint jura mariti,
Nec venit ex vero noſtra querela thoro.
Sed quod frigidulus conjux, turpiſque ſenexque,
(Ne quicquam de te durius ipſe loquar)
Tam bellam & lepidam, nec tali conjuge dignam,
Externi cogas jura ſubire thori.
Hoc, inquam, eſt ſævum quod te facit, improbe, quodq;
Damnamus noſtris, impie, verſiculis.

CUM FAUSTINA INCLUSAM ESSE VENEREM ET AMOREM.

CLAUSTRA tenent noſtram (ſic Dii voluere) puellam:
Felix quem clauſum ferrea clauſtra tenent!
Illic ſunt Charites, Luſuſque, Jocique, Leporeſque,
Et quidquid ſedes incolit Idalias.
Caſta Venus ſancto corpus jam velet amictu,
Sacraque jam diſcat relligioſus Amor.

OPTAT SE INCLUSUM CUM FAUSTINA.

O mihi ſi liceat furtivos jungere amores,
Hic ubi, me miſerum! clauſa puella mea eſt;

Digitized by Google

Mentirique novam mutata veſte figuram,
  Jupiter ut quondam caſta Diana fuit!
Quam bene virgineo tectus velamine corpus,
  Perferrem ſancti jura ſevera loci!
Nulla Deis melius faceret ſolemnia ſacra,
  Alternas melius conciperetve preces.
Rurſus cum tacita peteretur nocte cubile,
  Et foret optati reddita forma viri:
Haud quiſquam melior validam exercere juventam,
  Nocturniſque ſacris conciliare Deos.
Sic gratis vicibus Veſtæ, Veneriſque ſacerdos,
  Nocte parum caſtus, luce pudica forem.

CUR VESTALIBUS INNATI SINT VELUT QUIDAM AMORIS IGNICULI.

Æternum extingui Veſtæ in penetralibus ignem,
  Romulidum quondam Relligio vetuit.
Virginibus ſacris noſtros hinc manſit in annos,
  Pectora ut æternis ignibus urat Amor.
Dii faxint, mea vita, tuos hic creſcat in ignes
  Ignis, & ut noſtri ſis memor uſque precor.

IN DURUM JANITOREM.

Ferrea jam noſtras admittunt clauſtra querelas,
  E noſtris lacrymis duraque ſaxa gemunt:
At tu crudelis nimium ſævuſque ſacerdos,
  Durior & ferro, durior & ſcopulis,
Nec fletu aſſiduo, precibus nec flecteris ullis,
  Quas fruſtra ingratas ſpargimus ante fores.

Sed

Digitized by Google

Sed torvum aſpiciens valida nos voce repellis,
  Et procul a ſacris ædibus eſſe jubes.
Te tamen Iſmarii demulſum carmine vatis,
  Dum canit infernas flebilis ante domos,
Auribus arrectis, & nota, Cerbere, cauda
  Tergeminas fauces continuiſſe ferunt.
Tum primum memorant Manes ſævaſque Sorores,
  Et Ditem lacrymis ingemuiſſe piis.
Nempe illum cæci penetrarat cuſpide teli,
  Qui noſtra immittis pectora læſit Amor.
Tu vero immanis, cedit cui janitor Orci,
  Cui cedunt tortis anguibus Eumenides,
Fluctibus Ioniis, & littore ſurdior omni,
  Adverſus noſtras deſpicis uſque preces.
Scilicet humanos rides, ſæviſſime, luctus,
  Et ſperas precibus poſſe movere Deos?

CUM FAUSTINA OMNIA SIBI EREPTA.

Tu Veneri veneres, cœco tu ſpicula Amori,
  Mercurio linguæ munera ſurpueras.
At qui te, mea lux, mea ſpes, mea vita, meum cor,
  Invidus ah! noſtris abſtulit ex oculis,
Ille oculos, ſenſuſque omnes, mentemque animumq;
  Atque adeo totum me mihi ſurripuit.

PANDORÆ NOMEN APTIUS FUISSE FAUSTINÆ.

Qui tibi Fauſtinæ, mea lux, nomen dedit, is te
  Dixiſſet Pandoram aptius ac melius.

Digitized by Google

Munera namque Deos in te omnia congeſſiſſe,
Oſtendunt dotes corporis atque animi.
Et tu etiam ex oculis, tanquam de pixide apertâ,
Omnia depromis ſeu bona, ſive mala.
At mihi, te erepta, mî qua ſine vivere durum eſt,
Spes, ô me miſerum! nulla mihi remanet.

COGNOMEN FAUSTINÆ.

At tibi, ſi memini, nomen gentile, *Columba*,
Conveniens formæ eſt ingenioque tuo.
Laudantur niveo mites candore columbæ,
Et tibi ſub niveo pectore candor ineſt.
Quid luſus, mea vita, tuos; quid murmura blanda,
Quid referam noti blanditias thalami?
Tu tenero morſus figebas dente proterva,
Atque columbatim baſia longa dabas.
Hei mihi? quis raptor, credo Jove miſſus ab ipſo,
Te noſtro avulſit, cara Columba, ſinu?
Te malus accipiter captam tenet unguibus uncis,
Et tua crudelis viſcera dilaniat.
I nunc, dic Veneri ſacratas eſſe columbas,
Si tam, me miſerum! bella Columba perit.

FAUSTINÆ VELUT QUODDAM INESSE AMORIS NUMEN.

Per te, oculoſque tuos nuper, mea Diva, ſine arcu,
Et vacua errabat cœcus Amor pharetra.
His jaculis armata Deos homineſque, feraſque
Cogebas ſævi jura ſub imperii.

Digitized by Google

Non ſenibus gravitas morum, non profuit uſus,
Nec juvit tardo in corpore ſanguis iners.
Non Sophiæ ſtudium doctos, non purpura Patres,
Nec clypeus texit fortia corda Ducum.
Omnia ceſſerunt; ceſſit quoque publica cura,
Et poſuit virtus triſte ſupercilium.
At nunc, proh ſuperi! captivo numine Amoris,
Nil niſi trux Mavors & fera bella placent.

QUANTA SIT VIS AMORIS IN FAUSTINA.

INTER ſe potuit ſanctos committere Patres
Fauſtina, uſque adeo forma ſuperba fuit.
Et quiſquam Juvenes furiis miratur iiſdem
Accendi, & ſævo bella parare viro?
Qui talem, heu facinus! clauſtris cohibere puellam
Suſtinet, & noſtras deſpicit uſque minas.
Sola decennali fuit hæc repetenda duello,
Debuit hanc ſolus nam rapuiſſe Paris.

QUOMODO RAPTA FUERIT FAUSTINA.

CUM te crudelis nuper nil tale merentem
Materno conjux velleret è gremio;
Tendentemque manus traheret, paſſiſque capillis,
Quid tibi tunc ſenſûs, quid tibi mentis erat?
Fama eſt flebilibus mœſtam te ululaſſe querelis,
Sæpius & nomen congeminaſſe meum;
Et nunc crudelem demiſſâ voce maritum,
Nunc matrem lachrymis ſollicitaſſe piis.

Digitized by Google

Stat ferus ille tamen, ſpernitque precantia verba;
Verba vel immanes apta movere feras.
Hei mihi! cur mœſtis cum impleres queſtibus urbem,
Non potui infelix obvius eſſe tibi!
Haud ſecus atque olim furiata mente Corebus,
Caſſandram cum Ajax impius extraheret:
Tunc me injeciſſem medium moriturus in agmen,
Nullaque mors toto notior orbe foret.

AD MILITES GALLOS,

cum ad bellum Neapolitanum, an. 1528, *proficiſcerentur.*

Quos cara è patria avulſos & dulcibus arvis
Sævus amor belli miſit in heſperiam:
Pergite felices, fatisque vocantibus ite
Quò vos ipſa vocat Gallica Parthenope.
Illic, ſi quid erit nobis virtutis avitæ,
Et tanget patrii pectora Martis amor;
Tot fruſtrà repetita Ducum infelicibus armis,
Procumbent veſtra mœnia capta manu.
Tunc Siculum ſcelus ulciſci, patriiſque ſepulchris
Solvere Achillæas inferias dabitur.
Aſt ego qui Veneris miles, Martemque peroſus
Haud animo tantum concipio facinus,
Solvere tentabo captivæ vincla puellæ,
Quæ mihi longe ipſis carior eſt oculis.
Hæc repetenda mihi tellus eſt vindice dextra:
Hoc bellum, hæc virtus, hæc mea Parthenope.

Digitized by Google

AD POLYDORUM DE FAUSTINA.

Docte, quem primum, Polydore, nobis
Præpotens junxit nemorum Diana,
Vinculo ſed mox propiore vinxit
Innuba Pallas:
Me fluens humor cerebro malignus,
Febris atque ardens, & anhela tuſſis
Jam decem totis retinet diebus
Membra trahentem.
Non mihi dulcis latices Lyæi,
Sed ſitim ſedant medicata noſtram
Pocula, atque imas penitus perurit
Flamma medullas.
Auget hunc ignem Veneris favilla,
Et puer ſævo metuendus arcu,
Noſtra qui durus graviore fixit
Pectora telo.
Me ſuis urit facibus puella,
Quam ferus clauſam retinet maritus;
Dum ſuæ raptum metuit rapinæ,
Noſtraque tela.
Et quis in tali timidus puella
Non foret, qualem, Polydore, magna
Ante nec vidit, puto, nec videbit
Roma puellam?
Sive nigrantes oculos, comaſque,
Frontis aut lætæ niveum nitorem,
Seu genas ſpectes roſeas, vociſque
Picta labella.

Digitized by Google

Stat ferus ille tamen, ſpernitque precantia verba;
Verba vel immanes apta movere feras.
Hei mihi! cur mœſtis cum impleres queſtibus urbem,
Non potui infelix obvius eſſe tibi!
Haud ſecus atque olim furiata mente Corebus,
Caſſandram cum Ajax impius extraheret:
Tunc me injeciſſem medium moriturus in agmen,
Nullaque mors toto notior orbe foret.

AD MILITES GALLOS,

cum ad bellum Neapolitanum, an. 1528, *proficiſcerentur.*

QUOS carà è patria avulſos & dulcibus arvis
Sævus amor belli miſit in heſperiam:
Pergite felices, fatisque vocantibus ite
Quò vos ipſa vocat Gallica Parthenope.
Illic, ſi quid erit nobis virtutis avitæ,
Et tanget patrii pectora Martis amor;
Tot fruſtrà repetita Ducum infelicibus armis;
Procumbent veſtra mœnia capta manu.
Tunc Siculum ſcelus ulciſci, patriiſque ſepulchris
Solvere Achillæas inferias dabitur.
Aſt ego qui Veneris miles, Martemque peroſus
Haud animo tantum concipio facinus,
Solvere tentabo captivæ vincla puellæ,
Quæ mihi longe ipſis carior eſt oculis.
Hæc repetenda mihi tellus eſt vindice dextra:
Hoc bellum, hæc virtus, hæc mea Parthenope.

Digitized by Google

AD POLYDORUM DE FAUSTINA.

Docte, quem primum, Polydore, nobis
Præpotens junxit nemorum Diana,
Vinculo ſed mox propiore vinxit
Innuba Pallas :
Me fluens humor cerebro malignus,
Febris atque ardens, & anhela tuſſis
Jam decem totis retinet diebus
Membra trahentem.
Non mihi dulcis latices Lyæi,
Sed ſitim ſedant medicata noſtram
Pocula, atque imas penitus perurit
Flamma medullas.
Auget hunc ignem Veneris favilla,
Et puer ſævo metuendus arcu,
Noſtra qui durus graviore fixit
Pectora telo.
Me ſuis urit facibus puella,
Quam ferus clauſam retinet maritus;
Dum ſuæ raptum metuit rapinæ,
Noſtraque tela.
Et quis in tali timidus puella
Non foret, qualem, Polydore, magna
Ante nec vidit, puto, nec videbit
Roma puellam ?
Sive nigrantes oculos, comaſque,
Frontis aut lætæ niveum nitorem,
Seu genas ſpectes roſeas, vociſque
Picta labella.

Digitized by Google

Seu magis tractes geminas papillas,
Quas ſuis fecit manibus Cupido,
Quæque non una tulimus beati
Gaudia nocte.
Dum fovet molli tepidum lacerto,
Dum levi murmur ciet & ſuſurro,
Dum micat lingua, & varias per artes
Improba ludit.
Hanc jocus ſemper comitatur, ipſi
Alites circum volitant Amores,
Gratia & Luſus, Venerisque ſemper
Turba miniſtrat.
Hæc meos febris populatur artus,
Hic meas ignis furit in medullas,
Sævus ut latè furit in patentes
Sirius agros.
Hanc juvat tota, Polydore, Roma
Perſequi raptam medios per ignes;
Quæ decem digna eſt repeti per annos
Vindice dextra.

SOMNIUM.

Nox erat, & placidum carpebant cuncta ſoporem,
Cum puer in ſomnis viſus adeſſe mihi.
Arcum læva tenet, tenet aurea ſpicula dextra,
Candenti ex humero picta pharetra ſonat.
Ille meos cernens vigili ſub mente dolores,
Luminaque è lacrymis turgida facta meis;
Ultro me timidum verbis compellat amicis,
Atque meas lacrymas ſic miſeratus, ait:

Digitized by Google

« Parce tuum, Juvenis, conſumere luctibus ævum,
» Et noſtra toties de levitate queri.
» Quæ tibi, non noſtra, ſævi ſed fraude mariti,
» Rapta eſt, illa tibi reſtituenda venit ».
Quid me, ſæve puer, deceptum fraude maligna
Tu quoque nunc falſis ludis imaginibus?
Si cupis ut credam, Stygias teſtare paludes,
Aut aliquo dubiam pignore ſtringe fidem.
« Sume, ait (& pictis pennam detraxit ab alis),
» Certior ut fias, hoc tibi pignus erit ».
Sed quid ab hoc tandem ſperandum pignore certi,
Firmatura fidem ſi mihi penna datur?

VOTUM AD VENEREM.

Si per te, alma Venus, rerumq; hominumq; creatrix,
Qua ſine nil animis corporibuſque placet,
Sidereis Fauſtinæ oculis, verbiſque fruiſci,
Et liceat noto reddere membra thoro:
Non tibi candenti ſtabunt de marmore templa,
Hoſtia nec ſanctos corruet ante focos;
Purpurei ſed enim flores, violæque, roſæque,
Parque columbarum, Diva, tibi dabitur,
Suſpenſaque tibi ſolventur vota tabella.
Omnibus & ſæclis charta loquetur anus,
Amiſſam mihi te Fauſtinam reſtituiſſe;
Hoc eſt ipſum me reſtituiſſe mihi.

Digitized by Google

VOTI SOLUTIO.

JAM mihi mea reddita eſt Columba:
Vos triſtes Elegi valete longùm.
At vos molliculi venite verſus,
Dum cano reditum meæ Columbæ,
Quam plus ipſe oculis meis amabam;
Cujus baſia, blandulumque murmur,
Luſus, nequitiæ proterviores;
Et morſus poterant, micante roſtro,
Ipſum vincere paſſerem Catulli.
Nam mellea fuit, venuſta, bella,
Pulchra, candidula, atque delicata,
Nil mage ut queat eſſe delicatum,
Mellitum magis, aut magis venuſtum.
Ut vobis male ſit, mali Cinædi;
Fures improbuli, invenuſtulique,
Qui talem mihi tam diu abſtuliſtis
Pulchram, candidulam, meam Columbam.
At vos hendecaſyllabi frequentes,
Verſus molliculi, venuſtulique,
Adeſte huc, precor, & quot eſtis omnes,
Formoſæ Veneri, boniſque Divis
Votum ſolvite pro mea Columba.

BASIA FAUSTINÆ.

CUM tu ad baſia noſtra ſic reflectis
Cervicem niveam, Columba, pæti
Molle ut neſcio quid natent ocelli,

Digitized by Google

Præ deſiderio mihi liqueſcit
Ipſa penè anima, in tuumque ſenſim
Prorſus exanimis ſinum relabor.
Admotis ſed ubi hinc & hinc labellis,
Udo tramite mutuum recurſant
Linguæ, & ambroſios anhelo ab ore
Flores carpere mî licet beato;
Tunc mî, tunc videor Jovis tonantis
Aſſidere epulis, ſacrumque nectar
Haurire intrepidè, Deûm ſodalis.
Si ſummis bona proxima, o Columba,
Præbes tam facilis beato amanti,
Cur tu ſumma negas miſello, & unà
Miſellum facis & facis beatum?
Num forſan metuis Deus fruendo
Ipſe ne efficiar, velimque ſolus,
Te ſine Elyſios videre campos?
Hunc, hunc pone metum, venuſta, bella,
Vitæ dimidium meæ, Columba:
Nam quæcumque oculos tuos tenebit
Sedes, illa mihi domos Deorum,
Et campos referet beatiores.

DE POETARUM AMORIBUS, AD GORDIUM.

GORDI, plus oculis amate nobis,
Quidquid Lesbia, Delia & Corinna,
Quidquid Cynthia, quidquid & Lycoris,
Quidquid Stella, Nina, & recens Neæra,

Laura, & Candida, vel fuit Gelonis,
(Ut noſtras, quoque nominem puellas)
Caſſandra æmula Laureæ puellæ;
Quidquid Paſithea & venuſta nuper
Mellina, & numeris Oliva (1) noſtris
Dicta (ſi locus inter has Olivæ):
Hoc Fauſtina mea, hoc mea eſt Columba,
Hoc Fauſtina tua, hoc tua eſt Columba.
Ob id nunc cupiam hic adeſſe, Gordi,
Et quidquid cecinit tener Catullus,
Et quidquid cecinit tener Tibullus,
Quidquid Naſo canit Propertiuſque,
Gallus, & Jovianus, Actiuſque;
Quidquid ipſe Marullus & Petrarcha,
Quidquid Beza canit, canit Macrinus,
(Ut noſtros quoque nominem poetas)
Ronſardus gravis & gravis Thyardus,
Mollis Baifius, mihique (ſi quis
Probatos locus inter eſt poetas)
Optarim veteres meos calores,
Gordi, ut ſic melius queam referre
Fauſtinamque meam & meam Columbam,
Fauſtinamque tuam & tuam Columbam.

DE AMORIS VIOLENTIA EX ANACREONTE.

FRONTEM cornigeram dedit Juvencis
Natura, alitibus dedit volatum;

(1) Andinæ puellæ nomen, quo veram Bellaius amicam ſignificabat.

Fecit cornipedes equos, fugaces
Auritos lepores, natatileſque
Piſces, fulmineos ſues, leones
Fecit magnanimos, viros ſagaces:
Aſt hoc ingenio videns negatum
Eſſe femineo, dedit puellis
Formam igne atque acie potentiorem.

AD FABULLAM
CUR AMATORIA NON SCRIBAT.

Quod nullos faciam, Fabulla, verſus,
(Quamvis tot faciam, Fabulla, verſus)
Quales qui populo ſuos amores
Laſcivis nimium explicant libellis,
Miraris, tetricum & vocas poetam,
Rugoſum nimis & nimis Catonem,
Subinde hoc repetens Catullianum:
Nam caſtum eſſe decet pium poetam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.
Sed nobis aliter quidem videtur:
Nec vatem eſſe decet tam pudicum,
Qui verſus faciat parum pudicos.
Nam quid turpius eſt, Fabulla, quæſo,
Si gallum hunc facias, Deo ſalace
Cui verſus decet eſſe prurientes?
Scimus quid ſit amor, Fabulla, ſcimus:
Eſtque in verſiculis bonus Cupido
Noſtris plurimus & Venus jocoſa,
Blando quæ docuit ſonare plectro,

Digitized by Google

Dum noſtris licuit bonis fruiſci,
Et noſtras Domina fovente flammas,
Ignis mollibus arſit in medullis.
Nunc nos læta fugit juventa, noſque
Divexant animi æſtuantis undæ,
Et curæ vigiles, metuſque ſævi,
Omnes qui Veneres Cupidineſque,
Luſus, nequitias, ſales, jocoſque
A noſtris abigunt, Fabulla, Muſis.
Quare, quod ſupereſt, Fabulla bella;
Si quid te lepidi juvant libelli,
Quos ſcripſit manibus ſuis Cupido,
Dictarunt Charites, canunt poetæ,
Ediſcunt juvenes, tenent puellæ,
Et quos ipſi etiam audiunt libenter
Senes frigiduli, graveſque matres,
Aut tu noſtra legas parum pudica,
Aut tu nos facias minus pudicos.

DE CŒCO VIAM INDICANTE.

Nox erat, & pactæ properabam ad tecta puellæ,
Junguntur fano quæ, Lodoice, tuo.
Quà ſit iter quæro (nam me fallebat euntem
Tum forte in varias ſemita ſecta vias).
Hâc, aliquis dixit, dextra ſimul indicat, atque is
Cœcus erat: cœcum ſuſpicor eſſe Deum.

Digitized by Google

AD MARINAM, CUR EAM FUGIAT.

Cur te ſic fugiam tuumque limen
Currens prætercam, canem ut bibentem
Ex Nilo perhibent, Marina, quæris:
Cauſas accipies, Marina, paucis.
Es tu pulchra quidem, venuſta, bella;
Perpulchramque habitas domum, ſuperbam;
Lautam, magnificam, omnibus patentem:
Verum nos habitare, flante Cauro,
Tam laxè, medico haud ſatis probatur.

AD NEÆRAM.

Debes pro hendecaſyllabis, Neæra,
Nobis baſiolum: Neæra, ſolve.

IN GALLONIAM.

Ætate Hectoream vincis, Gallonia, matrem,
  Atque eadem ſpiras, trux quod Avernus olet.
Caſta doces juvenes ſævi medicamen amoris,
  Et quo philtra modo ſint fugienda, mones.
Scilicet & ſuccos & Circes pocula noſti,
  Quidque trahat manes, quæque ſit herba nocens.
Sed quid longa opus eſt artis præcepta referre,
  Aut quid opus medicas applicuiſſe manus?
Te videat, quiſquis timet hunc, Gallonia, morbum;
  Non aliis herbis tutior eſſe poteſt.

Digitized by Google

IN EAMDEM.

GRANDIOR & Niobe & Pyrrha, Gallonia noſtra eſt,
Et ſe noſſe virum caſta puella negat.
Credo equidem : nam nulla tibi, Gallonia, forma,
Quam quiſquam ſanus poſſet amare, fuit.

IN ANUM PRURIENTEM, ET PUELLAM FUGITIVAM.

QUÆDAM Neſtoream ſuperans ætate parentem,
Quæ juvenem ex Satyro redderet Hippolitum,
Me ſequitur, noſtriſque ſalax amplexibus hæret ;
At riget in noſtro pectore dura ſilex.
Me tenera & prima florens ætate puella,
Quæ poſſet Pylium ſollicitare ſenem,
Heu ! fugit, & noſtros crudelis ſpernit amores ;
Quoque magis ſpernit, me magis urit amor.
Quid faciam ? duris illinc me cautibus urget
Caucaſus, hinc ſævis ignibus Ætna coquit.

IDEM.

FRIGIDIUS Scythico cum ſit tibi marmore corpus ;
Cur mea cum tangis pectora, non rigeo ?
Mî faculas ſubdit nimium formoſa puella,
Atque oculis noſtram diſſoluit glaciem.
At mihi cur parcunt flammæ ? Tu frigida præſto es ;
Nec finis in cineres corpus abire meum.
Sic mihi reſtituit torpentia frigore membra,
Sic flammas Cypris temperat ipſa meas.

Digitized by Google

AD GORDIUM.

Illa marmorea Puella fronte,
Ore purpureo, aureis capillis,
Sinu lacteolo: illa nuper, inquam,
Nobis pulchrior omnibus puellis,
Nobis carior omnibus puellis,
Dum ſe in quadriviis & angiportis
Paſſim proſtituit, venuſte Gordi,
Gemellos modo repperit miſella
Ficos inguinibus ſuis tumentes.

AD MARIAM HAYAM.

Quid ſim, quid fuerim, quid egerimve,
Ex quo, Dia, tuis frui camœnis,
Scriptis, ingenio, eruditione,
Lepore, intuitu, allocutione,
Crudeles Superi invidere nobis,
Ipſe tam memini, ſopore preſſus
Quam ſi, vel nimio gravis Lyæo,
Aut forem Elyſio ſub amne merſus.
Hoc tantum memini: nihil fuiſſe
Me, præter lapidem, gravemque truncum,
Aut ſi his quid gravius, trucem, ſeverum,
Elinguem, ſtupidum, Trophonî ut olim
Ex antro attonitos ferunt rediſſe.
Nec mirum: ipſa mihi tuis ocellis,
Forma, atque ingenio elegantiore,
Cum ſenſus animumque ſurpuiſſes.

Et cui ſidereis tuis ocellis,
Forma, atque ingenio elegantiore,
Non ſenſus animumque ſurpuiſſes?
  Quare ſi quid adhuc tui (quod opto)
Bellaii memor es, cupiſque ſcire
Quid ſit, quid fuerit, quid egeritve
Tot annos Latio in ſolo, mihi me
Redde. Reddideris, modo huc reverſo
Si te, quo ſolita es, lepore, vultu,
Scriptis, verſiculis, venuſtuliſque
Jocis, & ſalibus, facetiiſque,
Jamjam reddideris mihi benignam.

DE CAMILLA JANI MORELLI FILIA.

PATRIS delitias ſui, Camillam,
Quam finxit manibus ſuis Dione,
Quam ſinu Charites ſuo educarunt,
Auget quæ numerum novem Sororum;
Amat plus oculis ſuus Morellus,
Seu quid plus oculis poteſt amari.
Morello ſimilis ſuo Camilla
Sic eſt, tam ſimile haud ſit ovum ut ovo.
Illam moribus imbuit pudicis
Mater, ſicque ſuam excolit Camillam,
Ut florem tenerum excolunt puellæ.
Sic ludit Latiis modis Camilla,
Camillam ut Latii putes alumnam.
Sic græcè loquitur Camilla, jures
Ut ipſas minus Atticas Athenas.
Hebræas quoque litteras Camilla.

Tam pingit bene, quàm ſuas Latini.
Sic verſus patrios facit Camilla,
Ronſardus queat invidere ut ipſe.
Sic canit fidibus Camilla, ut ipſe
Camillæ queat invidere Phœbus.
Et vix (quod ſtupeas) videt Camilla;
Videt vix decimam Camilla meſſem.

EX EJUSD. JOACHIMI BELLAII

TUMULIS.

IN CINERES MARITI UXORIS LACRYMÆ.

QUAS patris & nati, carique in funere fratris
  Et nata & mater, perſoluique ſoror:
Has tibi nunc lacrymas, Conjux dulciſſime, ſolvo,
  Qui pater & natus, qui mihi frater eras.

UXOR MARITUM ITIDEM LUGENS.

MARMORE de Pario, fuſo nec mollius ære
  Nec cineri ſtatuam picta ſepulchra tuo.
Nec cineres ipſos nimio ſtimulata furore
  Mortali quondam corporis in tumulo,
Cum tua, mi Conjux, ſemper viventis & ora,
  Et greſſum, & vocem pectora noſtra ferant:
Pectora quæ quondam fido ſpectata marito
  Tam bene pectoribus juncta fuere tuis;

Ut, ſi verus amor mentes poſt fata ſequatur,
Jam tumulo nolis ſplendidiore tegi.
Illa igitur veterem captet de marmore laudem,
Extincto imponens vaſta ſepulchra viro;
Hauriat aut cineres, longo quæ feſſa dolore
Solamen luctûs quærit habere ſui.
Ipſa ego candenti lacrymas pro marmore ponam;
Perpetuo manes ſic gemitura tuos;
Donec longa dies noſtrum miſerata dolorem,
Nos iterum optato jungat in Elyſio.
Myrtea tunc animas vallis ſpectabit euntes,
Atque eadem cineres conteget urna duos.

UXORIÆ LACRYMÆ.

SPARGIMUS hoc ſaxum lacrymis: utinamq;, marite,
In ſaxum è lacrymis verſa forem Niobe!

IDEM.

HOS flores atque has violas, cariſſime Conjux,
Spargimus in cineres, ultima dona, tuos.
Addimus & lacrymas, deſit ne floribus humor:
Atque utinam in florem verſa forem è lacrymis.

IN FILIUM MATRIS LACRYMÆ.

NON ſolus tu, care, jaces hoc, nate, ſepulchro;
Nec ſolum cineres hæc capit urna tuos.
Hic animus tecum eſt: quæ te gemit, anxia mater,
Heu! tumulis adſtat flebilis umbra tuis.

Digitized by Google

PARENTUM ET NATORUM
ATROX CASUS.

MORTIS diſce novum genus, Viator,
Horrendum, aut potius ſtupendum & ingens
Portentum. Hoc tumulo jacent ſepulti
Gemelli, & ſoror, & parens uterque:
Fame illi rabida, ii dolore ſævo
Abſumpti. Hic igitur, Viator, adſta:
Rem totam breviter tibi explicabo.
Pater cum validam famem timeret,
Quæ totam prope Neuſtriam premebat,
Nullaque ars miſero foret, moduſque,
Nec res ulla domi, domum relinquens,
Pauper Armoricas petivit urbes,
Victum quæreret ut ſibi, ſuiſque.
Ergo pignora cara, ſe, domumque,
Aut ſi carius iis quid eſt, viator,
Uxori miſeræ miſer maritus
Commendat lacrymans. Rogat, jubetque
Hanc bono eſſe animo; brevi affuturum
Seſe illi recipit: revulſus ægrè
Diſcedit. Reditûs, famiſque Conjux
Sed longæ impatiens, gemens & ipſa,
Virum ut repperiat, domum relinquit.
Natæ (hæc major erat) Miſella mater
Commendat geminos, jubet, precatur,
Promittitque eadem, pius Maritus
Quæ ante dixerat. Obſequens puella

Digitized by Google

Ut, ſi verus amor mentes poſt fata ſequatur,
  Jam tumulo nolis ſplendidiore tegi.
Illa igitur veterem captet de marmore laudem,
  Extincto imponens vaſta ſepulchra viro;
Hauriat aut cineres, longo quæ feſſa dolore
  Solamen luctûs quærit habere ſui.
Ipſa ego candenti lacrymas pro marmore ponam;
  Perpetuo manes ſic gemitura tuos;
Donec longa dies noſtrum miſerata dolorem,
  Nos iterum optato jungat in Elyſio.
Myrtea tunc animas vallis ſpectabit euntes,
  Atque eadem cineres conteget urna duos.

UXORIÆ LACRYMÆ.

SPARGIMUS hoc ſaxum lacrymis: utinamq;, marite,
  In ſaxum è lacrymis verſa forem Niobe!

IDEM.

Hos flores atque has violas, cariſſime Conjux,
  Spargimus in cineres, ultima dona, tuos.
Addimus & lacrymas, deſit ne floribus humor:
  Atque utinam in fl... [illegible] ...ſa forem è lacry...

IN E... [illegible] ...S LAC...

PARENTUM ET NATORUM
ATROX CASUS.

MORTIS diſce novum genus, Viator;
Horrendum, aut potius ſtupendum & ingens
Portentum. Hoc tumulo jacent ſepulti
Gemelli, & ſoror, & parens uterque:
Fame illi rabida, ii dolore ſævo
Abſumpti. Hìc igitur, Viator, adſta:
Rem totam breviter tibi explicabo.
Pater cum validam famem timeret,
Quæ totam prope Neuſtriam premebat,
Nullaque ars miſero foret, moduſque,
Nec res ulla domi, domum relinquens,
Pauper Armoricas petivit urbes,
Victum quæreret ut ſibi, ſuiſque.
Ergo pignora cara, ſe, domumque,
Aut ſi carius iis quid eſt, viator,
Uxori miſeræ miſer maritus
Commendat lacrymans. Rogat, jubet
Hanc bono eſſe animo; brevi affutur
Seſe illi reci... revulſus ægrè
...ſcedit. Re... ...miſque *Conjux*
...æ ... *genus & ...*
...omum ...
...

Et cui ſidereis tuis ocellis,
Forma, atque ingenio elegantiore,
Non ſenſus animumque ſurpuiſſes?
Quare ſi quid adhuc tui (quod opto)
Bellaii memor es, cupiſque ſcire
Quid ſit, quid fuerit, quid egeritve
Tot annos Latio in ſolo, mihi me
Redde. Reddideris, modo huc reverſo
Si te, quo ſolita es, lepore, vultu,
Scriptis, verſiculis, venuſtuliſque
Jocis, & ſalibus, facetiiſque,
Jamjam reddideris mihi benignam.

DE CAMILLA JANI MORELLI FILIA.

PATRIS delitias ſui, Camillam,
Quam finxit manibus ſuis Dione,
Quam ſinu Charites ſuo educarunt,
Auget quæ numerum novem Sororum;
Amat plus oculis ſuus Morellus,
Seu quid plus oculis poteſt amari.
Morello ſimilis ſuo Camilla
Sic eſt, tam ſimile haud ſit ovum ut ovo.
Illam moribus imbuit pudicis
Mater, ſicque ſuam excolit Camillam,
Ut florem tenerum excolunt puellæ.
Sic ludit Latiis modis Camilla,
Camillam ut Latii putes alumnam.
Sic græcè loquitur Camilla, jures
Ut ipſas minus Atticas Athenas.
Hebræas quoque litteras Camilla.

Digitized by Google

Tam pingit bene, quàm ſuas Latini.
Sic verſus patrios facit Camilla,
Ronſardus queat invidere ut ipſe.
Sic canit fidibus Camilla, ut ipſe
Camillæ queat invidere Phœbus.
Et vix (quod ſtupeas) videt Camilla,
Videt vix decimam Camilla meſſem.

EX EJUSD. JOACHIMI BELLAII *TUMULIS.*

IN CINERES MARITI UXORIS LACRYMÆ.

Quas patris & nati, carique in funere fratris
Et nata & mater, perſoluique ſoror:
Has tibi nunc lacrymas, Conjux dulciſſime, ſolvo,
Qui pater & natus, qui mihi frater eras.

UXOR MARITUM ITIDEM LUGENS.

Marmore de Pario, fuſo nec mollius ære
Nec cineri ſtatuam picta ſepulchra tuo.
Nec cineres ipſos nimio ſtimulata furore
Mortali quondam corporis in tumulo,
Cum tua, mi Conjux, ſemper viventis & ora,
Et greſſum, & vocem pectora noſtra ferant:
Pectora quæ quondam fido ſpectata marito
Tam bene pectoribus juncta fuere tuis;

Digitized by Google

Ut, ſi verus amor mentes poſt fata ſequatur,
  Jam tumulo nolis ſplendidiore tegi.
Illa igitur veterem captet de marmore laudem,
  Extincto imponens vaſta ſepulchra viro;
Hauriat aut cineres, longo quæ feſſa dolore
  Solamen luctûs quærit habere ſui.
Ipſa ego candenti lacrymas pro marmore ponam;
  Perpetuo manes ſic gemitura tuos;
Donec longa dies noſtrum miſerata dolorem,
  Nos iterum optato jungat in Elyſio.
Myrtea tunc animas vallis ſpectabit euntes,
  Atque eadem cineres conteget urna duos.

UXORIÆ LACRYMÆ.

SPARGIMUS hoc ſaxum lacrymis: utinamq;, marite,
  In ſaxum è lacrymis verſa forem Niobe!

IDEM.

HOS flores atque has violas, cariſſime Conjux,
  Spargimus in cineres, ultima dona, tuos.
Addimus & lacrymas, deſit ne floribus humor:
  Atque utinam in florem verſa forem è lacrymis.

IN FILIUM MATRIS LACRYMÆ.

NON ſolus tu, care, jaces hoc, nate, ſepulchro;
  Nec ſolum cineres hæc capit urna tuos.
Hic animus tecum eſt: quæ te gemit, anxia mater,
  Heu! tumulis adſtat flebilis umbra tuis.

Digitized by Google

PARENTUM ET NATORUM
ATROX CASUS.

Mortis diſce novum genus, Viator;
Horrendum, aut potius ſtupendum & ingens
Portentum. Hoc tumulo jacent ſepulti
Gemelli, & ſoror, & parens uterque:
Fame illi rabida, ii dolore ſævo
Abſumpti. Hîc igitur, Viator, adſta;
Rem totam breviter tibi explicabo.
Pater cum validam famem timeret,
Quæ totam prope Neuſtriam premebat,
Nullaque ars miſero foret, moduſque,
Nec res ulla domi, domum relinquens,
Pauper Armoricas petivit urbes,
Victum quæreret ut ſibi, ſuiſque.
Ergo pignora cara, ſe, domumque,
Aut ſi carius iis quid eſt, viator,
Uxori miſeræ miſer maritus
Commendat lacrymans. Rogat, jubetque
Hanc bono eſſe animo; brevi affuturum
Seſe illi recipit: revulſus ægrè
Diſcedit; Reditûs, famiſque Conjux
Sed longæ impatiens, gemens & ipſa,
Virum ut repperiat, domum relinquit.
Natæ (hæc major erat) Miſella mater
Commendat geminos, jubet, precatur,
Promittitque eadem, pius Maritus
Quæ ante dixerat. Obſequens puella

Digitized by Google

Sedulo hoc ſatagit. Suum ſed ipſa
Dum fraudat genium, ſuis ut eſſet
Fratribus ſatis, heu! pium ſororis
Exemplum! nimio gravatus imbre,
Solis vel nimia face uſtulatus,
Flos ut languidulus cadit, Miſella
Sic tandem jacuit. Fames ſed illos
Egit in miſeros jacentis artus.
Reverſi interea domum parentes;
Heu! ſpectacula dira! ſemipaſtum
Corpus repperiunt, ſoroſque juxtà
Hiantes pueros vident. Quid ultra?
Horror cetera non finit. Miſellis
In os injiciunt cibos; at illi
Guſtato minimum cibo, parentum
Ante ora exanimes cadunt. Parentes
Mœror occupat, in ſuoſque natos
Et ipſi exanimes cadunt. Teguntur
Uno omnes tumulo. I, Viator, i nunc
Orbatæ Niobes feros dolores,
Aut diram memora famem Sagunti.

SATYRAM PERICULOSUM, ESSE GENUS SCRIBENDI, AD MARINUM.

NE tu verſiculis tuis, Marine,
Hoc eſt, enſe tuo, furens ut Ajax,
Te ipſum conficias, tuaque ab arte
Artifex pereas, miſer Perillus,

Sume, ni piget, aut tibi moleſtum eſt,
Fidi conſilium tui ſodalis.
Si quid ſit tibi de Deo loquendum,
Aut quo numina ſint colenda ritu,
Sis catus, rogo, nec velis (quod aiunt)
Cornicum, ut ſapiens queas videri,
Confixiſſe oculos. Gravis Sophorum
Ira : hos lædere, ſi ſapis, caveto.
Nec minus tibi Principes cavendi,
Longas eſſe manus quibus loquuntur.
Haud quiſquam ſapiens Jovem laceſſit;
Nec impune diu fuit protervus,
Quiſquis crimina Principum notavit.
Adde his, ſi lubet, hos ſuperbiores,
Feros, intrepidos & impotentes;
Necnon carmina, par pari, ut rependant,
Penſent carminibus, parum ſed ipſi
Curantes Aganippedes puellas,
Styli ferro aciem tui retundant.
Illa denique, ne hinc & hinc vagando,
Quod nolim, tibi forte ſim moleſtus
Erunt præcipuè cavenda verba,
Quæ (quod dicitur) ut ſemel volarunt,
Nobis per jugulum redire poſſunt.

EX JOACH. BELLAII

ELEGIIS.

ROMÆ DESCRIPTIO.

NON mea ſollicitet ſævus præcordia Mavors,
  Nec rabies litis, durave jactet hyems;
Nec cupiam inſanos Aulæ perferre labores,
  Sed cingant noſtras laurea ſerta comas.
Nunc juvat aerii ſacro de vertice Pindi
  Ducere Virgineos per juga celſa choros.
Nunc juvat umbroſis lentum jacuiſſe ſub antris,
  Et longum plectro concinuiſſe melos.
Seu libuit molles flammas felicis Olivæ
  Hetruſcæ ad numeros perſonuiſſe Lyræ;
Seu potius magni laudes contexere Regis,
  Dicere vel laudes, Margari Diva, tuas;
Vel qui nunc Romæ, Bellaiæ gloria gentis,
  Purpureum magnus tollit ad aſtra caput.
Illius auſpiciis duras ſuperavimus Alpes,
  Et pulchræ campos vidimus Heſperiæ.
Vidimus & flavi contortas Tybridis undas,
  Sparſaque per campos mœnia Romulidum:
Mœnia quæ vaſtis paſſim convulſa ruinis,
  Antiquas ſpirant imperioſa minas.
Vidimus, excelſi claves qui geſtat Olympi,
  Auguſtum mitrâ, purpureoſque Patres.

Quid referam magni pendentia culmina Petri,
Quo nullum Auſonia pulchrius extat opus?
Aurea quid memorem pictis laquearia tectis,
Altaque porticibus limina Pontificum?
Adde tot auguſtas ædes, totque atria longa,
Quæque oculis villa eſt nomine pulchra ſuo (1).
Adde tot aerias arces, molemque ſepulchri,
Auratasque domos, pictaque templa Deûm.
Prætereo longos excelſo fornice pontes,
Quos ſubter rapidis Albula fertur aquis.
Prætereo vaſtum lata teſtudine templum,
Quo cunctos coluit maxima Roma Deos.
Mitto virginei ſurgentia marmora fontis,
Qui ſacer eſt ſummi numine Pontificis;
Multaque præterea veteris miracula Romæ,
Undique defoſſo nunc rediviva ſolo.
Hîc quoque (nam liceat toto decurrere campo)
Dicamus mores, inclyta Roma, tuos.
Si quis Palladias optet regnare per artes,
Dulcia Romanis Attica mella fluunt.
Si placet armorum luſus, ſi curſus equorum,
Tyndaridas multos urbs dabit iſta tibi.
Si varios regum cupias audire tumultus,
Hîc veri & falſi nuntia fama volat.
Si ſpectare juvat fortunæ jura potentis,
Non alio regnat latius illa loco.
Si Venus oblectat, Veneris ſunt omnia plena:
Romani auſpicium ſanguinis illa fuit.
Hîc ſigna, hîc ſtrepitus, voceſque & nota vocantum

(1) Le Belvedere.

Sibila, nec tacitis gaudia mixta jocis.
Hîc juvat aut varias paſſim ſaltare choreas,
Aut Thuſcos cythara concinuiſſe modos.
Carpento invectus pulchra cum matre Cupido
Arguto reſonum pectine pulſat ebur.
Gemmea marmoream cingunt redimicula frontem
Oraque fallaci murice tincta rubent.
Aurea lacteolo pendentque monilia collo,
Et niveas ornat gemma coruſca manus;
Et baccæ auriculis pendent, tortique capilli
Mille trahunt dulci colla ſubacta jugo.
Sidonias veſtes limbus complectitur aureus;
Defluit in teneros & ſtola longa pedes.
Arte cothurnati librant veſtigia greſſus;
Arte oculi ſpectant, arte micant digiti.
Quidquid mollis Arabs, Ægyptus, quidquid & Indi
Aut portant Tyrii, Roma beata tulit.
Quid referam lætas ſegetes ac dona Lyæi?
Quid nemora, & ſaltus, ruſtica turba, tuos?
Quid gelidos fontes, quid prata recentia *rivis*,
Et quidquid pingit vere ineunte ſolum?
Quæ licet Auſonia ſpectentur plurima terra
Spectare in media plus tamen urbe juvat.
Quid memorem auguſtis ſpirantia marmora tectis,
Artificum docta vivere juſſa manu?
An patris implexos ſquamoſis orbibus artus (1),
Et natos iiſdem nexibus implicitos?
An Phœbum & Venerem, Pario de marmore ſigna,
Saxaque in antiquos tam bene ficta Deos?

(1) Le Laocoon.

An

Hîc Roma inſignis galeâ vultuque minaci
Victorum regum colla ſubacta premit.
Hîc ludunt gemini prenſantes ubera nati,
Ubera nutricis officioſa lupæ.
Hîc plantæ affixis oculis & corpore toto
Evellit ſpinam vivus in ære puer.
Terribilis clavâ fulvo ſtat nudus in auro,
Herculeum ſpirans Amphitrioniades.
Hîc bellator equus tergum ſeſſore premente
Pectore ſtat Martem naribus atque oculis.
Cæſareos vultus quis non miretur & ora
Tam multis Romæ conſpicienda locis?
Quis Tybrim notumque Lupa, notumque Gemellis,
Quis ſeptemgemini neſciat ora Dei?
Anguibus intortis, cubitoque innixa recumbit
Antonî Conjux fortior auſa mori (1)
Hîc Martem alloquitur Cypris, lacrymiſq; madentes
Inflectens oculos effera corda domat.
Hîc geminus ſonipes gemino cohibente coloſſo,
Cervicem attollens, arduus arma fremit.
Hîc puerum Satyrus vultuque & munere tentat;
Munera grata quidem, non ferus ille placet.
Marmoreâ in venâ vulnus demonſtrat Adonis,
Vulnus quo jacuit dente ferocis apri.
Sed quid cæruleos tento percurrere fluctus,
Nocturnaſque volo connumerare faces?
Singula ſi cupiam brevibus deſcribere chartis,
Scribentem calamus, deſtituatque dies.
Ardua Pyramidum dicam, truncoſque coloſſos

(1) Cléopatre.

Digitized by Google

Mœſtaque nunc vacuo muta Theatra ſinu ?
Aſpice ut has moles, quondamque minantia Divis
Mœnia luxurians herba ſituſque tegant.
Hic ubi præruptis nutantia culmina ſaxis
Deſcendunt cœlo, maxima Roma fuit.
Nunc juvat excelſas paſſim ſpectare columnas,
Et paſſim veterum templa ſepulta Deûm.
Nunc Martis campum, Thermas, circumq; forumq;
Nunc ſeptem colles, & monumenta virûm.
Hàc ſe victores Capitolia ad alta ferebant,
Hic gemini faſces, Conſulis imperium.
Hic Roſtris locus, hic magnus regnare ſolebat
Tullius, hic plebis maxima turba fuit.
Heu ! tantum Imperium terriſque undiq; ſuperbum
Et ferro & flammâ corruit in cineres.
Quæque fuit quondam ſummis urbs æmula Divis,
Barbarico potuit ſubdere colla jugo.
Orbis præda fuit, totum quæ exhauſerat orbem,
Quæque Urbis fuerant, nunc habet Orbis opes.
Cetera tempus edax longis terit obruta ſeclis,
Ipſaque nunc tumulus mortua Roma ſui eſt.
Diſce hinc humanis quæ ſit fiducia rebus :
Hic tanti curſus tam brevis imperii !
Roma ingens periit, vivit Maro doctus ubique,
Et vivunt Latiæ fila canora Lyræ.
Naſonis vivunt, vivunt flammæque Tibulli,
Et vivunt numeri, docte Catulle, tui.
Salvete, o cineres ! ſancti ſalvete, Poetæ,
Quos numerat vates inclyta Roma ſuos ?
Sit mihi fas Gallo veſtros recludere fontes,

Digitized by Google

Dum coeli genio liberiore fruor ;
Hactenus & noſtris incognita carmina Muſis
Dicere, & inſolito plectra movere ſono.
Hoc mihi cum patriis Latiæ indulgete Camænæ,
Alteraque ingenii ſit ſeges iſta mei.
Forte etiam vivent noſtri monumenta laboris ;
Cetera cum domino ſunt peritura ſuo.
Sola virum virtus coeli ſuper ardua tollit,
Virtutem coelo ſolaque Muſa beat.

PATRIÆ DESIDERIUM.

QUICUMQUE ignotis lentus terit otia terris,
Et vagus externo quærit in orbe domum ;
Quem non dulcis amor, quem non revocare parentes,
Nec potuit, ſi quid dulcius eſſe poteſt :
Ferreus eſt, dignuſque olim cui matris ab alvo
Hyrcanæ Tigres ubera præbuerint.
Non mihi ſaxea ſunt, durove rigentia ferro
Pectora, nec Tigris, nec fuit Urſa parens :
Ut dulcis patriæ durus non tangar amore,
Totque procul menſes exul ut eſſe velim.
Quid namque exilium eſt aliud, quam ſidera nota
Quam patriam & proprios deſeruiſſe lares ?
Annua ter rapidi circumacta eſt orbita ſolis,
Ex quo tam longas cogor inire vias ;
Ignotiſque procul peregrinus degere tectis,
Et Lyrii tantùm vix meminiſſe mei ;
Atque alios ritus, alioſque ediſcere mores,
Fingere & inſolito verba aliena ſono.
At quid Romanâ, dices, ſpecioſius aulâ,

Aut quiſnam toto pulchrior orbe locus?
Roma orbis patria eſt, quique altæ mœnia Romæ
Incolit, in proprio degit & ille ſolo.
Forſan & eſt Romæ (quod non contingere cuivis
Hic ſolet externo) vivere dulce mihi.
Eſt qui purpurei patruus pars magna ſenatûs;
Atque idem Aonii pars quoque magna chori;
Qui noſtras ornetque bonus foveatque Camænas,
Arceat a noſtro pauperiemque lare.
At quoties ſtudia antiqua, antiquoſque ſodales
Et memini caram deſeruiſſe domum;
Quondam ubi ſollicitas Perſarum temnere gazas
Et felix parvo vivere doctus eram:
Ipſa mihi patriæ toties occurrit imago,
Et toties curis torqueor uſque novis.
Utque nihil deſit, nobis tamen omnia deſunt,
Dum miſeris noto non licet orbe frui.
Nec Ligeris ripas, ſaltus, ſylvaſque comantes
Cernere, & Andini pinguia culta ſoli;
Quæ lacte & Baccho, flaventis & ubere campi
Antiquæ certant laudibus Italiæ.
Aſt Ithacus, licet ipſa foret Laertia tellus
Et Bacchi & Cereris muneribus ſterilis,
In patriam rediit: reditum nec pulchra Calypſo,
Nec pulchra Alcinoi detinuit ſoboles.
Felix qui mores multorum vidit & urbes,
Sedibus & potuit conſenuiſſe ſuis!
Ortus, quæque ſuos cupiunt, externa placentque
Pauca diu, repetunt & ſua luſtra feræ.
Quando erit, ut notæ fumantia culmina villæ,

Digitized by Google

Et videam regni jugera parva mei?
Non ſeptemgemini tangunt mea pectora colles,
Nec retinet ſenſus Tybridis unda meos.
Non mihi ſunt cordi veterum monumenta Quiritûm,
Nec ſtatuæ, nec me picta tabella juvat.
Non mihi Laurentes Nymphæ, ſylvæque virentes,
Nec mihi, quæ quondam, florida rura placent.
Ipſæ etiam quæ me primis docuere ſub annis
Ad Cytharam patrio flectere verba ſono,
Heu! fugiunt Muſæ, refugitque averſus Apollo,
Et fugiunt digitos mollia plectra meos.
Aulica dum noſtros geſtaret turba libellos,
Et tereret manibus carmina noſtra ſuis;
Dumque meos Regis ſoror, illa, illa inclyta virgo
Afflaret ſancto numine verſiculos,
Margaris invicti Regis ſoror, aurea virtus
Inter mortales cui dedit eſſe Deam:
Tunc licuit totum fœcundo pectore Phœbum
Concipere, & pleno pandere vela ſinu.
Nunc miſeri ignotis cœci jactamur in undis,
Credimus & Latio lintea noſtra freto.
Hoc Latium poſcit, Romanæ hæc debita linguæ
Eſt opera, huc Genius compulit ipſe loci.
Sic teneri quondam vates Præceptor Amoris,
Dum procul a patriis finibus exul agit,
Barbara (nec puduit) Latiis prælata Camænis
Carmina non propriam condidit ad cytharam.
Carmina principibus gaudent, plauſuque theatri;
Quique placet paucis, diſplicet ipſe ſibi.

ANALECTA
MARCI ANTONII MURETI,
ſeu
ELEGIÆ DUÆ, QUASI POSTLIMINIO RECUPERATÆ, ET ODARIUM.

I.

Ad Neæram, puellam.

QUÆ te cauſſa mihi potuit mutare, Neæra,
Ut mea jam non ſis, quæ modo dicta mea es?
Quonam amor ille abiit, quo te jactare ſolebas,
Cum tibi magna ſatis gloria, amator eram?
Certe etenim & memini ipſe, & te meminiſſe neceſſe eſt,
Quam ſæpe exciderint talia verba tibi:
« DONA juvent alias; dum me Muretus amabit,
» Cætera mî ut deſint omnia, dives ero.
» Aurum aliæ gemmaſque; ego nil, niſi carmina, poſco;
» Plus mihi divitiis omnibus illa placent ».
Nec minus ipſe tibi parili conjunctus amore,
Talia reddebam dicta, ſed ex animo:
« URE, Cupido, alios; ignis mihi ſola Neæra eſt,
» Odi alias omnes. Quin etiam obtulerit
» Si mihi ſe Venus ipſa, Venus feret ipſa repulſam:
» Solus ego illius, ſola ut & ipſa mea eſt ».
Hei mihi! vix menſes abſum a te quatuor, & te
Alterius factam nuntia fama refert.
Quid ſi Taprobanæ petiiſſem aut littora Thules?
Tam longe diſtat Tibris ab Eridano?
At cum me flentem flens ipſa amplexa teneres,
Inque tuo ſtratus limine ſtaret equus;

Digitized by Google

Amplexuque tuo vix me ſubducere poſſem,
Jam diſcedenti qualia verba dabas!
« Dum vivam, res nulla tuo me avellet amore:
» Quod ſi poſt vitæ tempora durat amor,
» Me quoque te, Murete, etiam umbra & pulvis amabo.
Hæc mihi tum multis non ſine lacrimulis,
Te memini dixiſſe, o nuper cara Neæra,
Et, quanquam odiſti, nunc quoque cara tamen:
Cara, fatebor enim, quanquam te abſentia mutat,
Factura eſt levitas non me aliena levem.
Jupiter! ut certi nihil eſt in amore puellæ!
Sæpe uno decies odit amatque die.
Quam melius foret a vanis avertere mentem,
Et ſolida ac nunquam deperitura ſequi!
O ſi me meliorque Venus, meliorque Cupido
Vindicet, injecta corripiatque manu!
Tunc flebis, cum me ereptum novus ignis habebit,
Et te culpabis, duritiamque tuam.
Aſt ego ſubducta vinclis cervice moleſtis,
Ridebo, inque vicem, perfida, durus ero:
Ut ſervus Dominæ imperium perpeſſus iniquæ,
Quem Prætor juris juſſit abire ſui.

II.

Ad Fulviam, puellam.

[Hæc edita primùm in Editione Veronenſi, nec uſquam aliàs.]

Cum roſeam inflectens cervicem ad baſia torques,
Et tibi jam pæti molle natant oculi;
Præ deſiderio prope tum mî anima ipſa liqueſcit,
Vixque poteſt tanti vim tolerare boni.
Poſt ubi jam licet, admotis utrinque labellis,
Ambroſium ſuavis carpere florem animæ;

Digitized by Google

Udoque errantes colludunt tramite linguæ;
Dulcis & ardores ventilat aura meos:
Tum mihi, tum videor Divorum accumbere menſis,
Atque haurire avidè nectareos latices.
Fulvia, flos ævi, cum quæ ſunt proxima ſummis,
Tam facilis dones, cur modo ſumma negas?
An metuis, Deus efficiar ne forte fruendo,
Et, ſine te, ſedes evolem ad æthereas?
Pone metum, formoſa: tuos quæcumque tenebit
Ora oculos, cœli mî vice ſemper erit.

III.

Ad Janum Tilium,

PARÆNETICON.

MODUS tenellis quis tibi ab unguibus
Vitæ tenendus, Jane, ſit, accipe:
Benigna quem natura finxit
Ingenio puerum ſequaci.
Primum ergo amorem numinis intimo
Serva uſque fixum pectore, & illius
Ad juſſa te compone: nulla eſt
Sors nocitura Deum colenti.
Fac & parentes ſis pius in tuos,
Honore & illos pro merito colas;
Impunè nunquam ſprevit ullus,
A quibus ortus erat, parentes.
Fas & magiſtris, ſint licet aſperi,
Nonnunquam honorem reddere debitum.
Si quando te objurgent, id illos,
Te quod ament, facere arbitrator.
Nam primula ætas innumeris rapi
Affectionum turbinibus ſolet:

Frænari eam quare & magiſtri
  Aſſiduo imperio neceſſe eſt.
Nil turpe factu dicere fas puta:
Quæ quiſque gaudet dicere, eis quoque
  Gaudere patrandis, putatur.
  JUDICIUM SUA CUIQUE LINGUA EST.
Diſce & ſodales quos tibi debeas
Parare; nam omnes conſimiles fere
  Evadere illis aſſolemus
  Queis cum agimus; neque peſtilenti
Si quis frequenter vixerit in domo,
Nec ſi in malorum cœtibus, ut ſibi
  Contagio nil obſit unquam
  Arte cavere valebit ulla.
Vide ergo ut illos, Jane, pares tibi,
Queis eſſe te olim conſimilem voles;
  At immodeſtos quos videbis,
  Et cane pejus & angue vita.
Laborem amato, dum juvenis viges,
Ut otieris cum ſenium premet;
  Laboris oſores nec ulla
  Laus ſequitur, neque ſplendor ullus.
Hæc ſi ſub imo pectore clauſeris
Præcepta, Tili, ſpes bona nos tenet,
  Tuis fore ut majoribus te
  Perſimilem videamus olim.

IV.

Petri Lotichii

PHILOMELA ŒMULATRIX.

DUM ſedet, ac dulces iterat Philomela, querelas,
  Pendula quà vitreas arbor opacat aquas:

Alitis effigiem ſubjectis ſpectat in undis,
   Blandaque vicinis vox redit icta jugis.
Illaque dum queritur, ſimul ipsa videtur imago
   Æmula ſub ramo dulce virente queri.
Tum ſtupet, & verè volucrem putat eſſe quod umbra eſt,
   Et ſibi divini carminis eſſe parem.
Perſtat, & invidia mœrens tabeſcit inani:
   Certa, niſi vincat, victa dolore mori.
Omnia depromit diſcrimina gutturis, omnes
   Elicit, innumeris flexibus uſa, modos.
Poſtremo, multas fruſtra dum certat in horas,
   Seque repercuſſo decipit ipſa ſono;
Unguibus & roſtro ſimulacrum invadit & alis,
   Inque necaturas inſcia fertur aquas.
Vidit, & exanimem vicino ceſpite texit,
   Triſte genus lethi commiſeratus Acon.
Addidit & titulum: FALSUS QUAM PERDIDIT ERROR,
   DAULIAS HIC VIRIDI CONDITUR ALES HUMO.
Infelix fatum! Quæ laudis tanta cupido eſt!
   Fallor, an & miſeras nos imitamur aves?

V.

Famiani Stradæ.

FIDICINIS ET PHILOMELÆ CERTAMEN.

JAM ſol a medio pronus deflexerat orbe,
Mitius è radiis vibrans crinalibus ignem:
Cum Fidicen propter Tiberina fluenta, ſonanti
Lenibat plectro curas, æſtumque levabat,
Ilice defenſus nigra, ſcenaque virenti.
Audiit hunc hoſpes ſilvæ Philomela propinquæ,
Muſa loci, nemoris Siren, innoxia Siren;
Et prope ſuccedens ſtetit abdita frondibus, altè

Digitized by Google

Accipiens ſonitum, ſecumque remurmurat, & quos
Ille modos variat digitis, hæc gutture reddit.
Senſit ſe Fidicen, Philomela imitante, referri,
Et placuit ludum volucri dare: plenius ergo
Explorat cytharam, tentamentumque futuræ
Præbeat ut pugnæ, percurrit protinus omnes
Impulſu pernice fides. Nec ſegnius illa
Mille per excurrens variæ diſcrimina vocis,
Venturi ſpecimen præfert argutula cantûs.
Tunc Fidicen per fila movens trepidantia dextram,
Nunc contemnenti ſimilis diverberat ungue,
Depectitque pari chordas & ſimplice ductu;
Nunc carptim replicat, digitiſque micantibus urget
Fila minutatim, celerique repercutit ictu.
Mox ſilet. Illa modis totidem reſpondet, & artem
Arte refert. Nunc, ceu rudis aut incerta canendi,
Projicit in longum, nulloque plicatile flexu
Carmen init, ſimili ſerie jugique tenore
Præbet iter liquidum labenti in pectore voci:
Nunc cæſim variat, moduliſque canora minutis
Delibrat vocem, tremuloque reciprocat ore.
Miratur Fidicen parvis è faucibus ire
Tam varium, tam dulce melos; majoraque tentans
Alternat mirâ arte fides: dum torquet acutas
Inciditque, graves operoſo verbere pulſat,
Permiſcetque ſimul certantia rauca ſonoris,
Ceu reſides in bella viros clangore laceſſat.
Hoc etiam Philomela canit; dumque ore liquenti
Vibrat acuta ſonum, moduliſque interplicat æquis,
Ex inopinato gravis intonat, & leve murmur
Turbinat introrſus, alternantique ſonore
Clarat & infuſcat, ceu Martia claſſica pulſet.
Scilicet erubuit Fidicen, iraque calente:
Aut non hoc, inquit, referes, Cythariſtia ſilvæ,
Aut fracta cedam cythara. Nec plura locutus,
Non imitabilibus plectrum concentibus urget:

Digitized by Google

Namque manu per fila volat, ſimul hos, ſimul illos
Explorat numeros, chordaque laborat in omni;
Et ſtrepit, & tinnit, creſcitque ſuperbius, & ſe
Multiplicat relegens, plenoque choreumate plaudit.
Tum ſtetit expectans, ſi quid paret æmula contrà.
Illa autem, quanquam vox dudum exercita fauces
Aſperat, impatiens vinci ſimul advocat omnes
Nequicquam vires; nam dum diſcrimina tanta
Reddere tot fidium nativa & ſimplice tentat
Voce, canaliculiſque imitari grandia parvis,
Impar magnanimis auſis, imparque dolori,
Deficit, & vitam ſummo in certamine linquens,
Victoris cadit in plectrum, par nacta ſepulchrum.
USQUE adeo & tenues animas ferit æmula virtus!

FINIS.

ERRATA.

PAG. 168. ad Verſum 19.

Quonam ſcriblitas, quonam iſta ſophiſmata *poenis*?
Lege *plenis*, id eſt, *ſaturis & ſatiatis.*

PAG. 187. ad Notæ verſum ſecundum:

Muretus fumos, &c. Lege *Rumetus*, uti Scaliger ſcripſerat.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google